# TRACTATUS
## DE
# TUMORIBUS
## HUMORALIBUS
### IN UNIVERSITATE MEDICINÆ MONSPELIENSIS EXPLICANDUS

*AB AUCTORE*
FRANCISCO IMBERT,
Regis Consiliario ac Medico, in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professore Regio, è Societate Regiâ Scientiarum Monspeliensi.

MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, Regis, Occitaniæ Comitiorum, & Universitatis Typographum.

M. DCC. LIII.

# INDEX.

# PROEMIUM.

## *DE*

## *TUMORIBUS.*

AUCTA moles partis ſolidæ cujuſcumque præſcriptos à naturâ limites tranſgredientis Tumorem ponit in humano corpore.

Nulla eſt humanæ machinæ portio ſenſibilis, quæ, datâ cauſâ, augeri mole & ultrà naturales limites progredi non poſſit; ergò & tumere. Tumebunt igi-

tur non solùm partes molles, sed & ossa (*a*) ipsamet.

Pars quæ tumet violentiam patitur à causâ tumefaciente, quæcumque demùm sit illa causa. Violentia hæc faciliùs vincit partes laxitate, flexibilitate, parvâque cohæsione debiles: difficiliùs organa rigiditate, robore, firmiorique nexu valdè renitentia. (*b*) Hinc sæpiùs illæ, rariùs istæ partes Tumoribus afficiuntur.

Causa tumefaciens numquam agit efficaciter absque partis tumentis distractione aliquali. Quæ distractio semper est superior renitentiæ tumefactarum partium.

Renitentia partium corporis est proportionata numero & robori fibrarum varias partes constituentium, ac proin-

(*a*) Vide apud eos qui de morbis ossium scripsêre, tot exempla exostoseōn.

(*b*) Attentè evolvantur aphor. Boerh. de morbis fibræ simplicis, vasorum minimorum & majorum, atque de morbis viscerum.

*Aphoris. à sect. 21. ad 55.*

dè major aut minor prout affecta pars pluribus aut paucioribus, robuſtioribus vel debilioribus fibris contexitur. Et quidem, eodem dato vis diſtendentis momento, faciliùs intumeſcit vas lymphaticum vaſe ſanguineo; faciliùs membrana ſimplex quàm membrana compoſita, pars muſculoſa parte oſſeâ, vas minimum vaſe majori.

Vires diſtendentes in Tumorum efformatione viribus renitentibus directò ſunt oppoſitæ. Partibus noſtri corporis indita ea lex eſt ut renitantur & reluctentur propriæ elongationi. Hinc ad Tumorem quemlibet in humano corpore efformandum ſupponenda eſt lucta inter vires diſtendentes & partem renitentem ſed debiliùs & conſequenter in Tumorem elevatam.

Tument minutiſſimæ corporis partes, ſimilares dictæ; undè Tumores præ exiguitate ſenſibus abditi: tument partes mole majores, hinc Tumores ſignis propriis diſtincti & obſervabiles. Tumor ſenſibilis ex millenis aliis inviſibilibus conflatur.

Jam verò quotiès ſolida è ſede naturali dimota in alias ſolidas partes ità agunt, ut eaſdem in Tumorem attollant, ponitur Tumor *non humoralis* nuncupatus: ad hoc genus pertinent Tumores à luxatis membris, Tumor inguinum & crurum in veris herniis inguinali & crurali, &c.

Tumores *humorales*, de quibus tantummodò hîc agitur, ortum ducunt à fluidis nùnc in alieno, nùnc in proprio loco contentis, ibique vaſorum aut receptaculorum continentium molem præternaturaliter augentibus.

### *De Tumore humorali in genere.*

In omni Tumore humorali duo ſedulò conſideranda ſunt: ſolidum continens, & fluidum contentum.

Solidi continentis victa neceſſariò ſupponenda eſt renitentia, ad hoc ut fiat Tumor. Illa renitentia vincitur, quotiès actio fluidi contenti tollit plùs vel minùs naturalem cohæſionem par-

tium integrantium quibus constant vasa, ductus, aut receptacula continentia.

In Tumore humorali quocumque obstruentis fluidi moles major est capacitate vasis obstructi: alioquin transmitteretur fluidum.

Quò majus est volumen fluidi obstruentis, eò major fit fibrarum obstructi vasis distractio, expansio membranarum, parietum ab axi propriâ recessus, vasis tumefactio. Quæ eveniunt in minimis & innumerabilibus vasculis partis tumentis.

Vires prædicta vasa distendentes semper agunt pressione laterali quæ crescit in ratione compositâ flexibilitatis parietum vasculosorum, actionis fluidi contenti, & virium vitalium.

Modus quo vasa minima distenduntur & ampliantur idem est ac ille quo distenduntur vasa majora: omnium enim corporis humani vasorum sectiones sunt eædem, nempè circulares.

Nunc autem sedulò notandum est

cujuſlibet Tumoris humoralis conditionem proximiorem eſſe vel in ſolidis, vel in fluidis, vel in utrisque ſimùl vitiatis: eâ tamen lege quod datæ partis ſolida ſana eſſe nequeant; malè affectis liquidis; & vice verſâ. Ideò ſivè ſolida, ſivè fluida primariò peccaverint, utrorumque dabitur læſio in parte tumente.

Cùm externorum corporum injuriis aut neceſſariò aut fortuito caſu ſit expoſita humana machina, indè fit quod Tumoribus excitandis occaſio ſemper præſens ſit; hanc ſuppeditabunt aër, alimenta, exercitia, quies, motus, vigiliæ, ictus, caſus, morſus, preſſio, contuſio, ligatura, &c.

Nativa cujuſlibet hominis conſtitutio peculiaria accerſere videtur Tumorum genera. Apud melancholicos quorum ſolida rigida nimis, humores tenaces, malèque permixti; frequenter obſervantur obſtructiones abdominales, Tumores glanduloſi, ſchirri pertinaces: laxa ſeroſaque corpora œdematibus

ſunt obnoxia: ſanguis acer, ſalſus, biliοſus herpeticos & eryſipelatoſos Tumores facit: phlegmonas ſæpè experitur corpus plethoricum & ſanguineum: cachochimia eſt veluti fons uber crebrorum multipliciumque Tumorum humoralium.

Signa dantur caracteriſtica omni Tumori humorali externo communia. 1°. Augetur moles partis cujuſlibet tumentis; illud evincit oculus. 2°. Mutatur illius partis textura; demonſtrat digitus explorans. 3°. Exercitium functionis partis tumentis læditur ſæpè ſenſibiliter, quandòque modo inſenſibili, nùnc cum mitibus, nùnc cum gravibus ſymptomatis. 4°. Ut plurimùm mutatur color naturalis in parte tumefactâ.

Signa peculiaria cujuſcumque tumoris tradentur alibi. Caveant ſedulò Medico-Chirurgi ab erroribus in Diagnoſi (c) Tumorum.

---

(c) Chirurgus imperitus judicavit in tumore capi-

In genere diſtinguuntur magni Tumores humorales à parvis, utrique à mediocribus; calidi à frigidis; duri à mollibus; dolorifici ab inſenſibilibus; rursùs dolorifici inter ſe, critici à ſymptomaticis; diverſicolores: & ſic de alii tùm eſſentialibus, tùm accidentalibu Tumorum notis diſtinctivis.

Quadruplici modo diverſo terminantur tumores humorales; *Reſolutione, ſuppuratione, induratione, & mortificatione.* Quid in his boni aut mali alib declarabitur.

Ut præſagiantur futuri tumorum humoralium eventus; uno eodemque tempore menti repræſententur, 1°. Cauſ

---

tis contineri materiem purulentam, & tumoris aper tionem instituit: quâ factâ prodiit, non pus, ſe propria cerebri ſubſtantia. *Bonet. ſepulchret. tom.* *pag.* 256.

Noſtris in regionibus Tumor hernialis judicatus e abſceſſus à chirurgo foraneo qui profundâ inciſion Tumorem aperuit. Obſtupefacti operatoris ſub ocul exiit inteſtinum reſectum; & æger mortuus eſt.

tumoris

Tumoris. 2°. Signa. 3°. Extensio & profunditas 4°. Morbi tempus. 5°. Natura & functio partis affectæ. 6°. Vires, ætas, sexus, temperamentum ægri. 7°. Terminatio ad quam vergit Tumor.

Indicationes curatoriæ generales Tumorum humoralium sunt primò impedire quòminus Tumoris sævitia mortem totius corporis aut summam ejus abefactationem accersat: secundò partem Tumore affectam sanam efficere; quod obtinetur vel fluidum obstruens resolvendo, dissipando; vel in pus commutando, & foràs extrahendo; vasis obstructis integris tonum naturalem restituendo, ruptorum portiunculas cum pure eliminando; solida omninò demortua incidendo, urendo, extirpando, auferendo, &c....

Quibus peragendis inserviunt diæta, pharmacia, chirurgia. Curationis exacta enarratio ad Tumores in particulari attinet.

Clarioris doctrinæ gratiâ Tumores humorales in quatuor sectiones ordinantur.

*PRIMA SECTIO* Tumores includit ſanguineos inflammatorios, Phlegmonen, & Eryſipelas.

*SECUNDA*, Tumores lymphaticos Œdema, & Schirrum.

*TERTIA* indicat quoſdam Tumores prædictis minores qui vel aliquam cum quatuor primariis Tumoribus habent affinitatem, vel ſui generis omninò ſunt. Annotetur autem in iſto tractatu non minutiùs deſcribendos eſſe hoſce Tumores quorum exacta narratio in immensùm creſceret.

*QUARTA SECTIO* habet Tumores cyſticos, folliculoſos, ſeù tunicatos inter quos atheromata, meliceridès & ſteatomata principatum tenere quiſque norit.

# SECTIO PRIMA.

## *De Tumoribus sanguineis inflammatoriis.*

TUMORES sanguinei inflammatorii sedem habent præcipuè in illâ vasorum humanorum specie quæ systema arteriosum sanguineum nuncupatur. Nullus ponitur sanguineus Tumor qui præcedentem non habuerit obstructionem sanguineam. Sit igitur,

---

## CAPUT PRIMUM.

### *De obstructione sanguineâ.*

MAGNA sunt circulanti sanguini, etiam in statu sano, opposita obstacula. Sanguis arteriosus antece-

dens ſubſequenti reſiſtit minùs in ma-
joribus, magis in minoribus vaſis: un-
dè, optimo jure, morbi ex defectu
circulationis tribuuntur vitiis vaſorum
minimorum. Et certè multò minorem
eſſe velocitatem ſanguinis in ultimis ar-
teriolis quàm in earum trunco, experi-
mentis (*a*) comprobatur; & aſſenti-
tur ratio, cùm conſtet plurimùm mul-
tiplicari ſuperficies à columnis ſangui-
neis confricatas in vaſis minimis. Hinc
per vaſa minima circulantis ſanguini
propenſio ad remoram & conſequen-
ter ad obſtructiones: etenim qui facil
negotio per truncum ramoſque effluxit
ſanguis, ad minimos ramuſculos per
ventus difficillimè tranſmittitur, mini-
mâ datâ causâ ulteriùs lenteſcit, mox
ad apices ramuſculorum provolutu
germen futuræ obſtructionis ponit.

Miror *Pitcarnium* pauciſſimis verbi
eruditè demonſtrantem quòd obſtruc

(*a*) Vid. act. Academ. pariſin. ann. 1705.

tionum ſanguinearum cauſæ utplurimùm evaneſcerent, ſi motus ſanguinis circulatorius talis eſſet ut à vertice versùs baſim, ab ſtrictiori in ampliorem alveum ſanguis arterioſus deveheretur: etenim moleculæ quæ anguſtius ſubierunt orificium, certè ampliora vaſa pervadent.

Obices intrà vaſa arterioſa raro etiam occurrerent, ſi ea eſſent cylindrica, ſeu, quod idem eſt, eandem ubique haberent diametrum: quid enim obſtaret hanc ſanguinis molem quæ principium vaſis cylindrici ſubiit totum hoc eâdem facilitate percurrere.

Verùm, inquit *Pitcarnius*, cùm ſanguis à corde emiſſus à baſi arterioſâ ad verticem procedat; nihil mirum, ſi toties diametro vaſorum majores ſanguinis maſſulæ vaſa minima arterioſa obſtruant.

Itaque pro ratò habendum obſtructiones ſanguineas non in ſyſtemate venoſo fieri, neque in tubulis cylindricis inter finem arteriæ & principium

venæ positis, sed in minimis arteriolis sanguiferis in apicem desinentibus, & in lymphaticis vicinis.

Ex dictis etiam patet eò faciliùs obstruendam esse arteriolam sanguineam quò minor est ejusdem capacitas, & quò acutior apex illius.

Massulæ sanguineæ in arteriolâ minimâ hærentes vim sustinent à corde communicatam columnis sanguineis è cordis thalamo usque ad hærentes massulas protractis.

Si renitentia parietum obstructæ illius arteriolæ major sit vi distendente massularum sanguinearum, nullus subsequetur Tumor: si minor sit prædicta renitentia, contrarium eveniet.

Eximiæ observationes Vieussenianæ (*a*) probant obstructiones sanguineas sibi comites adjungere lymphaticorum vasorum obstructiones: undè major difficultas in reserandis obstructionibus.

(*a*) Vieussenii systema vasorum. pag. 109.

Ad obſtructiones ſanguineas in humano corpore producendas infinita fermè concurrunt.

1°. Compreſſio arteriolarum à causâ quâcumque internâ, externâ: elongatio vaſorum violenter diſtractorum quam ſemper ſubſequuntur imminutio cavitatis & debilitas in parietibus: conſtrictio vaſorum à nimis elaſticâ vel convulſivâ fibrarum cava cingentium contractione: anguſtatio arteriolarum à craſſioribus factis membranis: innata vel adventitia debilitas vaſorum fluidis propellendis imparium: ruptio vaſorum cui ſuccedit eorumdem retractio.

2°. Multiplex in qualitatibus ſanguinis vitium, ut ejus tenacitas, viſciditas, oleoſitas, ſiccitas, heterogeneitas, prava mixtura: ſanguinis adaucta quantitas & volumen majus factum: impetuoſus nimis nimiùmve retardatus ejuſdem motus circulatorius.

Ex iis cæteriſque ſolidorum fluidorumque vitiis ſeparatim vel conjunctim poſitis, millenæ reſultant variarum obſ-

tructionum ſanguinearum combinationes.

Nullam autem umquàm futuram eſſe obſtructionem ſanguineam pro certo habeas niſi materiei in arteriolâ ſanguineâ contentæ moles major ſit capacitate vaſis continentis : in hoc enim conſiſtit obſtructionum natura & eſſentia.

Viribus vitalibus directè opponi obſtructiones ſanguineas evidentiſſimè patet, id eſt, luctam dari inter datas obſtructiones & cor contractum.

---

# CAPUT SECUNDUM.

## *De Phlegmone.*

SIGNA Phlegmones ſunt tumor, rubor, calor, tenſio, dolor, pulſatio & circumſcriptio. Horum omnium ſignorum concurſus conſtanter reperitur in Phlegmone externâ, ſeu quæ ſenſibus externis patet & de quâ ſolâ hîc agitur.

*Partes*

*Partes diversæ quas occupare poteſt externa Phlegmone.*

Quibus in diverſis partibus ſedem habeat Phlegmone exterior, noſſe convenit, unoque intuitu advertere. Itàque conſtat tales Phlegmonas advenire in vaſculoſâ cutis texturâ, in membranâ adipoſâ; in glandulis quarum aucta moles ad exteriora corporis prominet; in muſculis & tendinibus qui tegumentis communibus ſubjacent; in parietibus membranoſis ductuum ſecretoriorum & excreto iorum dictarum partium; in earum textu cellulari; in capſulis & ligamentis articulationum; in perioſteo oſſium non profundè ſitorum; in involucris nervorum non longè à cute repentium; in peculiaribus organis utì in globo oculari membraniſque hunc conſtituentibus cooperientibus; in genitalibus & ano extimo; in ductu auditorio externo; in labiis, gingivis, ore, palato, imis

faucibus, linguâ; in membranâ pituitariâ nasi externas cavitates obvestiente; in adipe ad exteriora sivè non profundè sitâ: ubicùmque demùm arteriæ sanguineæ lymphaticæque reperiuntur quarum distensiones extrà prominent, cum signis Phlegmone propriis.

*Quid eveniat in parte Phlegmone affectâ, seù Phlegmones mechanismus?*

Compressæ, distentæ, intortæ, crispatæ, contusæ, angustatæ quomodocùmque partium superiùs enumeratarum arteriolæ sanguineæ, remoran sanguinis producunt. Parem stagnationem facit sanguis spissus, viscosus, oleosus, siccus, coagulatus, malè permixtus, abundans, rarefactus, partìm aut integrè obstruens cavitates arteriolarum.
Hærens sanguis in arteriolarum sanguinearum finibus, renitentes habet a latera parietes vasorum, ad anterior strictum iter, ad posteriora pressione

ictusque repetitos sanguinis subsequentis à corde pulsi. Vires vitales pellunt obicem in obstructo vase positum ; obex resistit, nec vincitur ; lucta datur obicem inter & cor, utriusque nixus & renixus ferunt vasis obstructi latera quæ tandem victa ultrà terminos naturales feruntur & tumorem creant. Ea est incipientis Phlegmones observanda mechanica.

Crescit Tumor actione constanti virium pellentium, obstruentium, distendentium. In strictioribus arteriolarum obstructarum apicibus sanguis adigitur, ibì magìs ac magìs cumulatur, per venas congeneres redeundi prorsùs impar. Et tùnc notabiliùs prominet Phlegmone adultior.

Interìm à tergo indesinenter premit cor : major fit sanguinis aggestio in vasis obstructis, major & illorum dilatatio : augentur, ab adveniente copiosiori velociùsque moto sanguine, diastoles & systoles vasorum non obstructorum : summus fit particularum san-

guinis coerciti attritus: calor adaugetur in parte. Phlegmone eſt in augmento.

Tanta autem fieri non poteſt diſtractio in parietibus arteriolarum ſanguinearum obſtructarum, quin dilatentur & amplientur oſcula arteriarum lymphaticarum in cavis ſanguineis hiantia. Quibus patentioribus oſculis rubræ ſanguinis moleculæ lymphatica invadunt, ibì impactæ hærent. Undè nova Phlegmones incrementa.

Status ille novus advenit vel pluribus vel paucioribus arteriis ſanguineis & lymphaticis, imò & vaſis ſecretoriis portionem ſanguinis lymphaticam, fibroſam, globuloſam purpuream, ſi vigeat cauſa morbifica, admittentibus. Hæc diverſa vaſa dilatatione propriâ ſeſe mutuò comprimendo infarctum atquè inflammationem adaugent. Phlegmone tùnc temporis ad ſtatum pervenit.

Ergò in parte Phlegmone affectâ nullus eſt ordo nequè in actione ſoli-

dorum, nequè in fluidorum circuitu. Verùm quò se recipit ea pars sanguinis quæ abundanter à corde tot repetitis vicibus contracto pellitur in obstructas & impervias Phlegmones arterias? Aliquâ sui parte vasis obstructis datâ, reliquum collaterales arterias sanguineas non obstructas invadit, quæ magìs solitò distensæ, solitò magìs agunt in sanguinem: undè per vasa libera hæc transfluxus uberior.

Ex dictis patet quænam in Phlegmone obstruantur vasa, & quomodò? quid ad hoc opus conferant vires cordis pellentes, arteriolarum minutissimi apices, materia obstruens? Nùm sit necessum recurrere ad sanguinis incendia, effervescentias, putrefactiones, extravasationes?

### *Explicatio brevis Phænomenum Phlegmone essentialium.*

1°. Pressione laterali, quæ in obstructis arteriolis magna est & pertinax tùm ratione adauctæ molis san-

guineæ, tùm ratione virium cordi
conſtanter prementium, elongantu
circulares fibræ vaſorum obſtructorum
extròpelluntur eorum latera, maju
occupant ſpatium dilatata illa vaſa
Fit Tumor.

2°. Infarctus vaſorum ad limbun
Phlegmones poſitorum eminentian
conſtituit quæ circumſcriptio dicitur

3°. Fibræ humanæ exſiccatæ, al
omni fluido orbatæ, ad merum ſoli
dum redactæ, conſtanter ſubalbida
remanent. Ergò non à ſolidorum tex
tu pendet præcisè rubor Phlegmones
ſed à ſanguine tranſparente qui abun
dans & æſtuans hæret non in ſangui
neis tantùm, ſed in pellucidis lympha
ticis arteriolis.

4°. Phlegmones renixus eſt illiu
reſiſtentia notàbilis propriæ inflexioni
Ideò renititur Phlegmone quia fibra
vaſorum obſtructorum plurimùm di
tractæ in quolibet ſui puncto duriore
evadunt, ut potè minùs flexibiles
major ſubſequitur inflexibilitas mem

branarum ab illis fibris compoſitarum, major demùm renixus in quolibet vaſe inflammato Eò magìs renititur Phlegmone, quò abundantiore, viſcoſiore, tenaciùs impacto, potentiùsque latera vaſorum premente ſanguine obſtruuntur arteriolæ.

5°. Calor hominis viventis pendet à præſentiâ ſanguinis: id probant millena obſervata & experimenta. Præternaturaliter calet Phlegmone à præternaturaliter adaucto niſu ſanguinis in vaſa, vaſorum in ſanguinem, molecularum ſanguinearum inter ſe. Diverſos caloris adaucti gradus in Phlegmone deducas à diverſis cauſis Phlegmonas producentibus; ab inæquali textu & denſitate partium Phlegmone affectarum; à variâ ſanguinis indole, abundantiâ, craſi, alteratione; à diſtantiâ cordis reſpectivè ad inflammata organa; à naturâ illorum organorum; à tractatione Tumoris.

6°. Nervi ſunt inſtrumenta doloris. Vim diſtrahentem patiuntur fibræ ner-

veæ in Phlegmone, undè dolor. Gradus doloris gradui nervorum diſtractionis reſpondet ad punctum ruptionis uſquè, quod ſupremus eſt doloris terminus: nullum enim ampliùs datur commercium fibram inter ruptam & cerebrum.

7°. Senſibiliter pulſat Phlegmone, quia ſingulis cordis contractionibus maximus fit impetus & niſus ſanguinis in parietes arteriarum partis phlegmonodeæ. Sed pulſat dolorificè, proptereà quod eadem lateralis preſſio arterioſa quæ fibras circulares vaſorum elongat, ſimùl diſtrahit nerveas propagines aliis fibris intertextas. Nequè alia eſt ratio cur Phlegmones pulſationes dolorificæ contractionibus cordis ſint contemporaneæ.

### *An ſint alia Phlegmones ſymptomata?*

Priùs explicata ſymptomata ſola ſunt quæ Phlegmonen eſſentialiter deſignant. Hanc, per accidens tantummodò

ꝉò, comitatur aut ſequitur febris.

Conceptu difficillimum eſt quorsùm ꝉa ſanguinis quantitas, quæ per libeꝉas arterias Phlegmones effluit, (quiſquis ſit ille effluxus) motus cordis adeò ꝉrequentes, ſivè febrem excitet. Quod ꝉrædicat vulgatiſſima theoria. (*a*)

Veroſimiliùs irritatio fibrarum nerꝉearum in Phlegmone febrem ipſi adꝉungit. Attende ad convulſiones totius ꝉorporis quæ ſubſequuntur vel miniꝉum quarumdam partium nervoſarum ꝉulnuſculum. Attende ad febres acuꝉiſſimas quæ comitantur paronychiam, ꝉæterasque inflammationes membranaꝉum, aponevroſeōn, tendinum. Hoꝉum ſymptomatum gravitas debetur

(*a*) Illa theoria adeò improbabilis eſt, tot obꝉctionibus impugnatur adeòque repugnat ſcientiæ meꝉanicæ corpori humano exactiùs applicatæ, ut miꝉmur viros in medicinâ celebres confidenter tanꝉàm quidpiam veri & veluti demonſtrati prædictam ꝉeoriam ſcriptis mandaſſe. Vide in contrarium theoꝉiam pulſûs & circulationis cap. de morboſâ vaſorum ꝉinimorum dilatatione.

*Theſ. propugnat. Monſpelii ann. 1752.*

majori nervorum irritationi.

Febri phlegmonodeæ aut excitand
aut fovendæ non parùm quoquè con
ducunt diſpoſitiones febriles præexiſter
tes in corpore cui proindè Phlegmon
ſupervenit: tales ſunt ſaburra in prim
viis, ſanguis excandeſcens, ſimilesqu
cauſæ proëgumenæ.

Notandum ſedulò quòd ſi Phlegm
ne quandòque cauſa ſit febris, al
quandò ſuâ vice febris producit Phle
monen. In primo caſu Phlegmone eſſe
tialis febrem excitat ſympaticam; i
ſecundo caſu febris eſſentialis & per
exiſtens Phlegmonen ſympaticam pr
creat.

### *Quædam differentiæ in Phlegmonib annotandæ.*

Licèt unus idemque ſit concurſ
ſymptomatum eſſentialium in om
Phlegmone externâ, ſunt tamen diff
rentiæ annotandæ, quarum conce
tus, Medicum dirigit & in event

prævidendo & in applicando remedio.

Annotetur igitur Phlegmone idio-pathica quæ per ſemetipſam exiſtit; ympathica quæ à morbo priori ortum lucit; deuteropatica quæ ſuccedit cuidam morbo qui evanuit: Phlegmo-ne critica quæ accidit cum bonis ægri ebus; ſymptomatica quâ vel non ſub-evatur æger, vel in pejus ruit: Phleg-mone ſimplex quæ in ſuâ unitate xiſtit; complicata quæ alios morbos djunctos habet: Phlegmone ſpuria uæ latè extenſa limites non habet qui-us circumſcribatur & Tumor phleg-nonodes dicitur; legitima quæ cum liis ſignis eſſentialibus circumſcriptio-em habet & Phlegmones nomen ſim-liciter retinet.

Nequè minori ſollicitudine menti ræſens ſit idea Phlegmonum mitis, ravis, benignæ, malignæ, contagio-, inflammatoriæ, ſuppurantis, gan-rænodeæ, ſphacelatæ, in induratum beuntis, citiùs ociùs ſua tempora per-urrentis, ſuperficiariæ, paulò profun-

dioris, advenientis corpori juvenili, adulto, ſenili, fœminino, maſculino, robuſtiori, debili, cachochimico; demùm Phlegmonum obſidentium partes diverſas cutaneas, adipoſas, glanduloſas; muſculares, membranaceas, tendineas; tali aut tali muneri inſervientes.

*Quid de Phlegmone ſit præſagiendum?*

Phlegmone adveniens partibus tendineis, membranoſis, ligamentoſis, aponevroticis, accerſit dolores ſummos, vigilias, ſpaſmos, deliria, febres acutiſſimas. Ab inflammatâ adipe timete abundantem & pravam ſuppurationem, imò & gangrænam. In inflammatis articulationum capſulis cavendum à purè in cavo articuli depluente, ibìque cuncta erodente; undè totius membri ruina & febris lenta lethalis ſi ſanguini remixta fuerit purulenta materies. Inflammationem perioſtei ſuppuratione aut mortificatione terminari peſſimum eſt; exindè enim

os denudatur, vaſorum ſanguinem & lympham nutritiam oſſi ſuppeditantium deſtruitur textura, omnia in oſſis intimo pereunt defectu ſucci vitalis & motûs circulatorii. In genere quò magìs vitæ eſt utilis functio partis Phlegmone laborantis, eò pejor prognoſis, & vice verſâ.

Dolor acutiſſimus in Phlegmone præſagit omnia accidentia quæ à validè commoto genere nervoſo fluunt. Calor ingens ingentem in parte phlegmonodeâ motum ſignificat; undè vel ſuppurationes vel mortificatio, juxtà circumſtantias. A ſummo gradu tenſionis, rubedinis, elationis, multùm pertimeſcendæ ruptiones vaſorum & quæ ex his fiunt.

Febris bona cenſenda eſt ſi per incitatos motus cordis humor noxius, peſtilens, malignus, è corpore expellatur ope Phlegmones: mala verò febris quæ tædioſam, abundantioremque ſuppurationem fovet uſquè ad corporis conſumptionem; vel quæ uno im-

petu textum partis phlegmonodeæ deſtruit & mortificationem creat. Exceſſu validiſſimarum virium vitalium gangræna ſæpè Phlegmone ſupervenit in juvenili & robuſto corpore: defectu earumdem virium mortificatur Phlegmone apud ſenes: nocet extremum utrumque.

Benè ſperate de Phlegmonibus criticis ſuppuratis levamen ægro conciliantibus: cuncta timete à ſymptomaticis; aut à criticis, tractantium imperitiâ aut culpâ naturæ reſolutis.

Numquàm benè ominandum de Phlegmone ſuperveniente corpori ſcorbutico; obſervatur enim tales Phlegmonas in prava ulcera & in gangrænam ſæpè abire. Lenti ſunt Phlegmones gradus apud ſeroſos & leucophlegmaticos: celeres è contrà in temperamentis ſanguineis. Pravæ ſunt Phlegmones advenientes corpori cacochimico; peſſimæ quæ pendent à viru quodam peſtilenti aut venefico, niſi eâ viâ tota expellatur venefica fomes.

Malè præſagiatur de Phlegmonibus ſubſequentibus ſuppreſſam evacuationem conſuetam quæ per adhibita remedia non redintegratur : quod imprimis notetur in corporibus mulieribus.

Indoles ſanguinis benè aut malè conſtituti, bonam quoquè aut malam facit Phlegmones prognoſim. Meliùs eſt Phlegmonen oriri à causâ externâ quàm ab internâ, ab adventitiâ quàm ab innatâ aut hæreditaria, &c...

Quatuor nùnc ſuperſunt advertendæ Phlegmonum terminationes.

1°. Reſolutio expectanda in Phlegmone cujus vaſa integra ſunt, materiesque non irreſolubilis. Futura prævidetur hæc terminatio à mitibus ſymptomatis, ab abſentiâ ſignorum alias terminationes redolentium : præſens noſcitur per pruritum quemdam in parte, madorem exteriora perfundentem, gradariam detumeſcentiam. Optima reſolutio ſanitatem parti affert. Et ideò ſemper optanda terminatio hæc, niſi

criticus ſit Tumor aut peſtilens.

2°. Ut plurimùm ſuppuratione terminatur Phlegmone. Suppuratio præſupponit vitam amiſſam in quibuſdam vaſis, nempè in diſruptis; vitamque vegetiorem in ſanguiferis arterioſis quæ remanſerunt integra. Prævidetur futura in Phlegmonibus ſuppuratio ex intenſitate inflammationis, horroribus irregularibus, ineptitudine materiei ad reſolutionem. Factam ſuppurationem in Phlegmone noſſe licebit ex remiſſione ſymptomatum, Tumoris fluctuatione ejusque acuminato apice. Quæ ſigna tamen non ſemper adſunt, eòque difficiliora ſunt cognitu, quò profundiùs ſita eſt Phlegmone.

Sæpè adeſt periculum in ipſomet Phlegmones ſuppurantis opere: ſi enìm adeò intendantur vires vaſorum integrorum ut ſequatur ruptio, pars morti traditur: ſi ſummus dolor ſuppurationem comitetur, timendum nè ſymptomata generi nervoſo noxia ſubſequantur, præſertìm ſpaſmi & ſyncopes.

Facta

Facta purulenta materies, si diu-
iùs clausa remoretur; pondere aggra-
abit partes vicinas, acrimoniâque ir-
itabit; undè serpens ad vicina loca
nflammatio, aut per bibula oscula
asorum suctus materiei purulentæ
anguini remixtæ, summo corporis dam-
o. Hìnc prævidetur nùm impetranda
nt auxilia chirurgica, ferrum aut
orrosivum ad puris effluxum: nùm
mplex curandum sit ulcus. nùm verò
fformatis sinubus & fistulis succurren-
um sit.

Magnæ suppurationes diutiùs pro-
actæ corpus exhauriunt è sangui-
is balsamicâ substantiâ, atrophiam-
ue mortiferam non raró porten-
unt.

Vitia massæ generalis fluidorum va-
am prognosim faciunt, tùm quoad
osummet suppurationis opus, tùm
uoad ea quæ factam suppurationem
ubsequuntur. Puris è Phlegmone sup-
urante effluentis color & consistentia
rognosim etiam dirigunt. Optima sup-

puratio Tumorum criticorum. Phleg
mones exterioris ſuppuratio multò mi
nùs periculoſa eſt ſuppuratione Phleg
mones internæ.

3°. In ſchirrum non raró abire Phleg
monen demonſtrat obſervatio. Tal
modo terminandum eſſe illum Tumo
rem ſuſpicandi locus eſt ſi inflamma
tio glandulas teneat : ſi materies na
turæ tartareæ ſit: ſi in eâdem materi
puris efformationi adſit ineptitudo :
nimio motu diſſipetur ſerum in part
inflammatâ fæcesque remaneant : ſi re
ſolutione factâ in ſanguiferis, obſtina
tè infarcta remaneant lymphatica o
parietum debilitatem : ſi ab ægrotan
tis temperamento multùm fibroſæ &
lymphaticæ ſubſtantiæ ſuppeditetu
vaſis obſtructis : ſi excretioni humori
lymphatici in parte inflammatâ no
detur locus : ſi frigore, medicamini
busque inſpiſſetur lympha partis inflam
matæ.

Phlegmonen mutandam eſſe in ſchir
rum pro certo habeas, dùm, evaneſ

entibus ſymptomatis inflammatoriis, Tumor mole minor fit, magìs renitens, hebetiori ſenſu præditus, colore d naturalem aut albicantem accedente. Periculi plena eſt mutatio Phlegmones in ſchirrum, ſi, quod ſæpè eveniat, in cancrum ſchirrus abeat. Phlegmone in ſchirrum mutata eò pejoris t ominis quò magìs ille obſtat functionibus vitæ neceſſariis. In genere uidpiam commodi potiùsquàm periculi eſt in ſchirro exteriùs locato qui à hlegmone ſoboleſcit.

4°. Aliquandò gangrænâ aut ſphacelo terminatur Phlegmone. Utraque terminatio peſſima eſt. Supponit imminutionem aut abolitionem virium vitalium in parte inflammatâ: tonum perditum in vaſis ſi integra ſint, t eorum dilacerationem. Noſcitur hlegmone mortificata, ex abſentiâ ignorum vitam partis denotantium.

Ingens obſtructio, validiſſima inflammationis agentia, humorum depravatio cacochimica, calidiùs cœlum,

aliaque plura mortificationi Phlegmo-
nes famulantur ; undè malè ex his
ominandum.

Pessima quidem prognosis dùm mor-
tificatur Phlegmone absque causâ evi-
denti, dùm mortificatio serpit à part
in partem, dùm advenit corpori ca
cochimico.

### *De analogiâ quæ observatur inte Phlegmonas externam & internam.*

Externa Phlegmone ab internâ dif
fert sede non naturâ : quæ enim pa
tibus externis inflammatis adveniunt
eadem fiunt in inflammationibus pa
tium internarum.

In utroque Phlegmonum genere
idem est primarium movens, nemp
cor; eadem materia, scilicèt sanguis
vasa eadem affecta, arteriæ sanguine
& lymphaticæ.

Tàm ad interiorem quàm ad ext
riorem Phlegmonen procreandam pr
cedit obstructio sanguinea : hæc eode

modo naſcitur, creſcit & viget, ſivè interiùs, ſivè exteriùs ſedeat. Id tamen obſervetur diſcriminis, quod progreſſus celeriores ſint internè quàm externè.

Idem eſt naturæ mechaniſmus in inflammationibus phlegmonodeis quibuſcumque, quarum objectum præcipuum eſt infarctus arteriolarum quæ tùm interiùs, tùm exteriùs in apices deſinunt remoræ ſanguinis faventes.

Vires vitales magìs intenduntur in conficiendis internis quàm externis Phlegmonibus; quia ſcilicèt organa interna directiùs adverſantur vitali principio; eâdem ratione febris utplurimùm comitatur inflammationes internas.

Similitudo in texturâ partium internarum & externarum affectarum Phlegmone inter effectus ſivè ſigna utriusque inflammationis analogiam inſtituit: ſic, externa aponevroſis inflammata acutiſſimam febrem ſummosque dolores creat, non ſecùs ac inflammatio pleuvræ, &c....

Si quandòque ſanguis inflammato-

rius ab intempeſtivè reſolutâ Phlegmone externâ, in interiora organa irruat; aliquando materies inflammatoria ab interioribus ad exteriora dejicitur. Quæ mutationes à loco in locum dicuntur metaſtaſes.

Sicut externa Phlegmone glandulas axillares, inguinales aliasque externè locatas non raro indurat; ità in inflammationibus internis ſchirroſæ fiunt glandulæ mezentericæ, pancreaticæ, pulmonales, &c...

Phlegmone externa in corpore cacochimico peſſima habet ſigna difficiliùsque diſcutitur: rariùs etiàm ab inflammationibus internis evadunt temperamenta in quibus adeſt humorum generalis depravatio præexiſtens.

Eædem ſunt in genere indicationes curatoriæ pro internâ & pro externâ Phlegmone.

Breviùs dicam, Plegmone externa & Phlegmone interna, ſunt unus & idem morbus diverſis tantùm partibus inſidens.

## *Curatio exterioris Phlegmones.*

Status partis Phlegmone externâ laborantis, ut potè inflammatorius, auxilia non pauca expetit in generali Phlegmonum tractatione adhibita. Auxilia hæc reducuntur, 1°. Ad ea quibus imminuitur maſſa ſanguinis. 2°. Ad ea quibus caſtigantur pravæ humorum qualitates. 3°. Ad ea quæ pravos primarum viarum ſuccos eliminant. 4°. Ad ea quæ parti applicantur ſub topicorum nomine.

*Primò*. Diæta, à morbi initio præſcripta, parcam ſuppeditans ſanguini chili copiam, minùs ſolitò ſanguinis deperditiones reparat, & eo defectu, illius maſſam imminuit. Eò tenuior præſcribi debet diæta, quò grávior judicatur Phlegmone.

Præſtantiſſimum inflammationis auxilium, venæ ſectio, citò ſublevat vaſa ab abundantiori ſanguine. Numerus venæ ſectionum ad Phlegmonen inſti-

tuendarum, quantitas ſanguinis educendi quâlibet vice, electio venæ ſecandæ nùm in pede, nùm in brachio, cuncta hæc rectè ſtatuuntur attendendo ad vires, temperamentum & ætatem ægri; ad indolem & ſymptomata Phlegmones; ad partem & locum cui inſidet Tumor; ad ejus extenſionem, ad propenſionem phlegmones versùs unam ex quatuor terminationibus; ad febrem. Sine morâ primisque morbis diebus inſtitui debent venæ ſectiones; in morbi decurſu minùs ſunt proficuæ; ſæpè nocent ſub finem.

*Secundò.* Remediis alterantibus appropriatis varia caſtigatur prava humorum diatheſis, phlegmonodeam inflammationem producens aut fovens. Sanguinis æſtui & ſiccitati diluentia & refrigerantia conveniunt: hujus acrimoniæ lenientia, edulcorantia, oleoſa dulcia: ſpiſſitudini incidentia: ſanguinis rareſcentiæ valida refrigerentia & acida.

Si acutus dolor perſentiatur, utendum

dum narcoticis, præſertìm laudano, vel ſolis vel maritatis cum alio remediorum genere, utì cum edulcorantibus, refrigerantibus, &c....

*Tertiò.* Certiſſimum eſt Phlegmonas ſæpiùs produci aut foveri à pravis ſuccis ab ſtomacho aut inteſtinis ad ſanguinem tranſmigrantibus. Exindè indicationes curatoriæ per potiones catharticas, emeticas, carthartico-emeticas, variandas pro circumſtantiis à Medicò obſervandis.

Nequè ſanè hîc parvi facienda ſunt enemata emollientia, humectantia, refrigerantia, demulcentia, purgantia, quorum uſus mira præſtant ad juvandos præſertìm aliorum remediorum effectus.

*Quartò.* Indicanda nùnc ſunt topica in tractatione Phlegmonum externarum adeò proficua.

1°. Si tentetur reſolutio Phlegmones, adhibenda ſunt repercuſſiva, reſolventia, diſcutientia, leviter adſtringentia. Rigidiores fibræ Phlegmones

expetunt relaxantia, emollientia, oleosa: æstus & ardor in humoribus Phlegmones aquosa, lenientia, anodina nimia fibrarum laxitas, actuosa topica, & leviter stimulantia.

Caveas nè cujuslibet Phlegmones indiscriminatìm tentetur resolutio, qua verbi gratiâ præcisè vitanda in casu Phlegmones criticæ.

2°. Si, aut irritis remediis resolventibus ad suppuratum tendat Phlegmone, aut antè illorum usum suppuratio benè indicetur; tùnc in usum vocanda sunt topica maturantia, suppurantia quorum forma & materia pro circumstantiis multùm variant. Sic, in suppurandâ Phlegmone dolor & æstu vigentes impugnantur anodinis & emollientibus: crassa & iners materies actuosis & attenuantibus: laxitas & summa solidorum segnities spirituosis & stimulantibus.

3°. Gangrænæ imminenti aut præsenti in Phlegmone succurrendum topicis diversæ virtutis & quorum ener

gia deſtruit cauſam mortificationis.
Hanc ergò cauſam apprimè noſcere
multùm intereſt. Si peccet laxitate,
ctuoſis; ſi rigiditate, emollientibus;
ſi inſpiſſatione, reſolventibus; ſi dolore
& æſtu, emollientibus anodinis uten-
dum eſt: & ſic de cæteris.

4°. Deniquè Phlegmonibus indura-
tionem minitantibus conveniunt topi-
ca reſolventia, aliis maritata topicis
quorum vis reſpondet ſtatui Tumo-
ris: ſed hoc dilucidiùs in capite de
Schirro.

In genere, remedia interna ſuperiùs
indicata præſcribuntur ſub formâ pti-
ſanarum, juſculorum, cremorum, de-
coctionum diverſarum, emulſionum,
apozematum, juleporum, potionum,
&c....... topica verò, ſub titulo fo-
tuum, cataplaſmatum, unguentorum,
&c.....

# CAPUT TERTIUM.

## *De Eryſipelate.*

NULLUS inter Tumores qui tot nomenclaturis fuerit inſignitus, quot Eryſipelas. A Latinis antiquioribus modò ignis ſacer, modò ignis proſerpens, modò roſa, dictum fuit: ſpinæ nomen apud Avicennam obtinuit: Inter Barbaros Valeſcus apoſtema cholericum nuncupavit: alii dixerunt inflationem à ſanguine tenuiſſimo latam & rubeam ſparſam in membri ſuperficie. Quarum denominationum ſcientia prorsùs utilis eſt ad intelligenda Antiquorum ſcripta de Eryſipelate.

Porrò Eryſipelatis ſigna caracteriſtica ſunt parva Tumoris elevatio & aliqualis diffuſio, nullus fermè renixus, calor deurens, dolor acer, color rutilans, amiſſio coloris rubri à premente

digito, reditus ejuſdem coloris amoto digito premente.

### *Quænam ſit materies Eryſipelatis?*

Magna eſt in Medicinâ veteri obſcuritas ad aſſignandam genuinam materiem Eryſipelatis: hanc, bilem eſſe putabant. A flavâ bile ſincerâ & tenui Eryſipelas exquiſitum; ulceratum ab amarâ bile craſſiori & acriori; phlegmonoſum Eryſipelas à copioſâ bile pauco permixtâ ſanguini; pituitæ permixtâ œdematoſum; permixtâ humori atrabilario ſchirroſum Eryſipelas ruebant. Sic, ope bilis multifariæ phœnomena cujuſcumque Eryſipelatis facilè ſed obſcuriùs explicabat fermè tota antiquitas.

Certior nova theoria ſanguinem acrem, æſtuantem, & leviter inſpiſſatum admittit pro materiâ Eryſipelatis. Quod circà naturam hujuſce ſanguinis obſervavi, paucis referam.

OBSERVATIO PRIMA. Miles tempe-

ramenti ſanguinei triginta circiter annos natus incidit in Eryſipelas totam faciem occupans & atrocioribus ſtipatum doloribus, cum febre acutiſſimâ. Miſſi in patellam ſanguinis pauxillum apici meæ linguæ appoſui, & in deguſtando notabilem acrimoniam, quæ vergebat ad deurentem amaritiem, perſentivi. Ægrotans mihi retulit ſe ab ætate tenerâ Eryſipelatibus fuiſſe obnoxium: ſextâ morbi die obiit correptus phrenitide.

OBSERVATIO SECUNDA. Sanguinem deguſtavi juvenis cui poſt frigus paſſum Eryſipelas in medietate faciei, colli, & pectoris advenerat. Sanguis ille organo guſtûs maximè ingratam ſalſedinem referebat.

Quæ obſervationes me impulerunt ut in diverſis temporibus deguſtarem ſanguinem plurium Eryſipelatibus detentorum. Nunquàm ſapor talis ſanguinis, ſapori ſanguinis ſanorum ſimilis à me fuit compertus, ſed ſemper acer plùs vel minùs, & cum diver-

sâ acrimoniæ indole.

OBSERVATIO TERTIA. Quibuſdam ab hinc annis in Noſocomio Monſpelienſi attentè examinabam ex unâ parte ſanguinem eductum è corporibus ſimplici Eryſipelate detentis, ex alterâ parte cruorem peripneumonicorum pleuriticorumque. Factâ comparatione, conſtanter expertus ſum ſæpè omninò diſſolutum, numquàm verò concretum eſſe ſanguinem eryſipelatoſum; concretione ſemper apparente in ſanguine aliarum inflammationum. Verùm ſi alio morbo utì febri putridæ, aut malignæ complicaretur Eryſipelas, prædicta diſſolutio exactè non obſervabatur.

OBSERVATIO QUARTA. Per duos menſes integros aſſervavi in patellâ ſanguinem eryſipelatoſum qui eductus fuerat homini laboranti Eryſipelate fermè totam medietatem corporis occupante. Exſiccatas reliquias hujuſce ſanguinis, redegi in pulverem quem injeci ad ignem: cum crepitibus exhalavit pulvis

ille, ingratum utìque odorem ſpargens.

Prædictæ obſervationes collatæ cum ſymptomatis Eryſipelatis, probant jure meritò admitti in materiâ Eryſipelatoſâ. 1°. Partes maximè mobiles & æſtuantes, non compactas utì in Phlegmone. 2°. Acrimoniam nùnc ſalſam, nùnc amaram, forsàn & millenis modis variatam pro diverſitate cauſarum Eryſipelas producentium.

Materies Eryſipelatis præparatur in corpore ab humorum indole ſpontè acri, aut ad acrimoniam vergente; cujus acrimoniæ cauſæ antecedentes ſunt utplurimùm bilis abundans chilo permixta, vel acrior: comeſtio aſſidua & vorax alimentorum ad acrimoniam diſpoſitorum: reliquiæ chimi in ſtomacho malè digerente acres factæ aut rancidæ, & tales ad ſanguinem delatæ: febris acutiſſima, aut vehemens quælibet ſanguinis agitatio, ejuſdem quies abſoluta vel motus imminutus: vaſorum humanorum in ſanguinem fortior actio.

actio quâ exaltantur sales illius & olea acria : calidior æstiva tempestas : (*a*) excernenda è fœminino corpore, si retineantur : humores cujuscumque cacochimiæ acris.

In peculiaribus corporis locis citò etiàm producitur materies Erysipelatis, si ibì præpediatur perspiratio ; si intempestivè applicentur repercussiva, pinguia, oleosa, emplastica.

Nequè omittenda Erysipelatum productio ab ichore, sanie, pure, in textu partium ulceri vicinarum imbibitis : ab acri lymphâ hydropicorum ad crurum tibiarumque superficiem transmissâ : à materiâ cariei serpente ad vicinas partes molles : ab hærentiâ humorum propter fracturam aut luxurationem.

---

(*a*) Attendant Medici parisienses qui Monspelii Medicinam fecêre nùm Erysipelata rariora non sint sub humido cœlo parisiensi quàm in calido & sicco climate monspeliaco.

Ergò, materia Eryſipelatis nùnc per inquinatam generalem humorum maſſam ad ſuperficiem corporis defertur: nùnc breviori viâ per accidens externum intròpellitur. Prima cauſa gravior alterâ.

## *De ſede Eryſipelatum.*

Sedem habent Eryſipelata, 1°. & frequentiùs in cute cujus filamenta fibroſa rete ſuſtinent innumerabilium vaſculorum partim ſanguineorum, majori numero lymphaticorum. 2°. In tunicâ adipoſâ cujus cellulæ millenis coronantur vaſculis minutiſſimis. 3°. In texturâ vaſculoſâ membranarum muſculorumque ſubcutaneorum. 4°. In vaſis perreptantibus textum cellularem dictarum partium.

Non ſanguinea tantùm, ſed ut plurimùm lymphatica vaſa arterioſa afficiuntur in Eryſipelate; errore loci, in lymphaticorum cavis hoſpitante materie eryſipelatòſâ.

## *Mechanismus Eryſipelatis.*

Futuri Eryſipelatis conditio antecedens & neceſſaria eſt obſtructio ſanguinea. Hæc non adeò tenax eſt obſtructione phlegmonodeâ. Utraque fit à cauſis inflammatoriis, ſed gradu diverſis.

Spontè ab ipſomet ſanguinis circulo versùs ſuperficiem corporis determinandas eſſe partes acres & mobiles ſanguinis eryſipelatoſi, indicare videtur ipſamet ſana natura quæ ſalſuginoſum & acre liquidum perſpirabile ad colatorium cutaneum tàm copiosè dimittit.

Itaquè ad ſedes proprias delatus ſanguis eryſipelatoſus difficilè fluit per vaſa minima arterioſa, ut potè ſpiciuſculus: tardè moto eo ſanguine moleſtantur aliquantiſper arteriolarum latera: creſcit paululùm vaſorum preſſio lateralis: intumeſcit pars, ſed adhucdùm inſenſibiliter.

Acribus ſanguinis eryſipelatoſi parti-

culis irritantur latera vaſorum, quæ hìc & illìc, conſequenter ad ſtimulum ſu-peradditum, criſpantur & ſemetipſa obſtruunt.

Maximè diviſi globuli rubri ſangui-nis eryſipelatoſi & in motum æſtuo-ſum concitati non difficilè ſubeunt oſ-tiola lymphaticorum ductuum in cavo ſanguineorum hiantia: inibì ſiſtunt co-pioſiſſimi: mutatur omninò ordo cir-culantis ſanguinis & lymphæ in Ery-ſipelate.

Porrò, major ſemper facta hærenti-materiei eryſipelatoſæ acrimonia majo-rem in parte æſtum motumque inteſti-num concitat.

Exindè patet 1°. Minùs ſpiſſitudine quàm acrimoniâ peccare ſanguinem Eryſipelas producentem. 2°. Minù diſtendi vaſa eryſipelatoſa quam phleg-monoſa, ſed magìs irritari. 3°. Ve-roſimiliùs numeroſiora lymphatica ob-trui in Eryſipelate quàm ſanguinea.

## *Signa Eryſipelatis, & quid ex his præſagiendum.*

1°. Poſitis, in Eryſipelate, leviori infarctu, non magnâ copiâ ſanguinis obſtruentis, nullâ illius viſcoſitate, ſummâ aptitudine ad ſeſe diffundendum; parùm tumere debet Eryſipelas, extendi ad latera nullâ datâ circumſcriptione ſensìm & ſine ſenſu evaneſcens.

2°. Cùm minima fiat lateralis preſſio in vaſis eryſipelatoſis; minimus & quoquè futurus eſt illius Tumoris renixus.

3°. In ſtatu ſano albicabat cutis innumeris irrorata lymphaticis limpidum humorem vehentibus: rubet nùnc in Eryſipelate ob intròmiſſos globulos rubros in cava eorumdem lymphaticorum. Inſuper ſanguis eryſipelatoſus magno agitatur inteſtino motu tùm in ſanguineis tùm in lymphaticis; undè fluxilitas, globulorum rubrorum major

divisio, reflexio coloris rutilantis. Istud inest singulare colori Erysipelatis, quod scilicèt ad appressum digiti facilè subterfugiat rubedo albedini locum cedens, statìm verò redeuns sublato digito premente. Cujus phœnomeni explicatio eruenda est à mobilitate materiei erysipelatosæ quæ per vim prementem expulsa è vasis digito suppositis aliena vasa petit quorum vi contractivâ repellitur in priorem locum, ubì, amoto digito minor est resistentia.

4°. Sanguinis erysipelatosi acuminatæ & acres particulæ in poris & in interstitiis fibrarum sese insinuant & figunt. Undè fibrarum divulsiones, acris doloris generatrices. Quod doloris genus meræ pressioni laterali adauctæ tribuere foret absurdum.

5°. Validissima agitatio intestina, molecularum sanguinis erysipelatosi simùl & ejus mobilium particularum acrium ad latera vasorum impetus & aspera collisio, explicando calori deurenti & mordaci Erysipelatis sufficiunt.

Frequentes fiunt eryſipelatoſæ metaſtaſes, remixtâ materiâ eryſipelatoſâ cum ſanguine & ad alias partes amandatâ.

Ex ſummâ etiàm mobilitate ejuſdem materiei, ſequitur Eryſipelas locum ſæpè mutare, ſerpere, extendi, evaneſcere, & brevi apparere.

Jàm verò ſimplex Eryſipelas, parùm extenſum, levibus ſtipatum ſymptomatis, à causâ externâ productum, felicem admittit prognoſim: & è contrà, ſi gravis ſit inflammatio eryſipelatoſa, à cauſâ univerſali, in corpore cacochimico, ſerpens obſtinatè & in dies magìs diffuſa.

Summus æſtus dolorque acerrimus in Eryſipelate, cùm denotent acrem ſanguinis ſtagnantis indolem, præſagiunt 1°. In parte affectâ dilacerationes vaſculorum textûs cellularis tenerrimi, extravaſationem ſeri acris epidermidem in veſiculas ſublevantis; ſanguineorum etiam ruptiones, undè ſanguis acer effuſus; malignæ, ichoroſæ

ſuppurationes, gangrenæ plenæ periculi. 2°. In toto corpore febres maximè acutas, vigilias, ſimiliaque ab acutè ſtimulato genere nerveo pendentia.

Mali eſt ominis, poſt intròpulſam materiem Eryſipelatis, abdomen intumeſcere & dolere; reſpirationem fieri difficilem; phrenitidem advenire. In genere, maximè ſunt periculoſæ, quæ fiunt ab exterioribus ad interiora Eryſipelatum metaſtaſes.

A retentis menſtruis productum Eryſipelas, iis fluentibus ut plurimùm curatur. Apud hydropicos, Eryſipelata ſeri acrimoniam prædominantem innuunt.

Varia deniquè inſtituenda eſt prognoſis Eryſipelatis, proùt ad unam ex quatuor generalibus inflammationis terminationibus vergit ille Tumor.

## *Generalis Curatio Eryſipelatis.*

Indicationes generales in curando Eryſipelate

Eryſipelate in eo conſiſtunt, quod compeſcatur motus ſanguinis, ejus imminuatur quantitas, mitigetur humorum acrimonia, evacuentur primæ viæ, urgentioribus ſuccuratur ſymptomatis.

*Primò.* Venæ ſectiones juxtà optimas artis regulas inſtitutæ, non ſolùm quantitatem ſanguinis ad partem inflammatam advenientis imminuunt; ſed & velociorem illius motum & æſtum refrænant. Imperandæ ſunt morbi initio.

*Secundò.* Ardor & acrimonia humorum, in morbo eryſipelatoſo haud dubiè prædominantes, expetunt diætam refrigerantem & edulcorantem. Hæc verſatur circà potum abundantem & lenem, cremores hordeaceos, avenaceos, juſcula & aquam pulli, ptiſanas demulcentes, emulſiones, &c....

*Tertiò.* Cùm pravi ſucci primarum viarum Eryſipelata ut plurimùm producant & foveant, purgantibus pluriès repetitis utendum, ſed lenibus, nè æſtus adaugeatur. Vomitorium exhibe-

tur antè purgantia, si pravis succis turgeat ventriculus. Clisterum usus non omittendus.

*Quartò.* In doloribus Erysipelatis acerrimis propinanda sunt narcotica quæ quidèm summi sunt usûs in hocce morbo: in metastasibus sanguinis erysipelatosi ad pulmones, intestina, cerebrum, cor, (*a*) promptiùs & vicibus repetitis celebrandæ venæ sectiones aut è brachio, aut è pede: in vigiliis obstinatis laudanum solidum, liquidum: in summo totius corporis æstu refrigerantia, acida, &c....

*Quintò.* Prædicta medicamenta interiùs assumpta sæpè sufficiunt ad sananda Erysipelata: attamen topica non rarò adhibentur iis curandis Tumoribus. Dùm igitur locus est topicis, cautè & prudenter perpendantur indicationes, nihil enìm pejus intempestivè ap-

(*a*) Vide apud Fabric. hildanum. Erysipelas cum horroribus & oppressione cordis.

plicatis topicis suprà partem erysipelatosam.

Simplici Erysipelati mitibus stipato symptomatis conveniunt topica leniter resolventia: Erysipelati phlegmones naturam redolenti resolventia mixta cum anodinis. Erysipelati prono ad mortificationem fortiora resolventia imò & scarificationes in parte: (*a*) summoperè dolenti & æstuanti Erysipelati anodina demulcentia. Et sic de variis Erysipelatum casibus diversa topica auxiliaque expostulantibus. Topica quæque contràindicantur poros obstruentia, perspirationem supprimentia, repercussiva, narcotica. Nulla etiam applicanda Erysipelatibus faciei topica.

---

(*a*) Vidimus Erysipelata quæ omninò mortificata judicabantur, & tamen curata radicitùs per incisiones factas in parte. Scarificationum ope sanguis acer partes acerrimè irritans & ipsarum textum destruens evacuabatur: undè sublata imminentis mortificationis causa. De utilitate scarificationum in casibus propositis. Vide Ledran observat. chirurgic. passim.

*Sextò.* Caſus ſunt peculiares quibus peculiaris competit tractatio. Et quidèm, non difficilè concipitur ſordes cuti eryſipelatoſæ ſuperſtratas eſſe auferendas ; curandam eſſe luxationem aut fracturam undè factum Eryſipelas aperiendas eſſe veſiculas eryſipelatoſa ichorem continentes neceſſariò extrahendum. Uno verbo cauſa continen externa Eryſipelatis, quæcumque ſit tollenda protinùs, ut deinceps perficiatur curatio.

Cæterùm, ſuppurantis, gangrænoſi ſphacelati Eryſipelatis generalis curatio depromenda ex dictis dùm de phlegmone in ſuppuratum & in mortificationem abeunte.

# SECTIO SECUNDA.

## *De Tumoribus lymphaticis.*

DUO ſunt præcipui Tumores lymphatici Œdema & Schirrus. Utrumque præcedit obſtructio peculiaris, nempè lymphatica.

## CAPUT PRIMUM.

### *De obſtructione lymphaticâ.*

PELLUCIDA hæc humorum noſtrorum portio, quæ lympha dicitur, per canales proprios jugi fluore & liberè circulatur in ſtatu ſano; ſed in quibuſdam affectibus morboſis difficilè. Lymphæ ſtagnatio in prædictis canali-

bus obſtructionem ponit lymphaticam.

Hæc fit vel in lymphaticis arterioſis, vel in degeneratione illorum in venoſa lymphatica, vel in tractu venoſo lymphatico; vel in areolis lymphaticorum quorumdam, breviſſimis emiſſis ramuſculis, inter ſe aut cum venis ſanguineis communicantium; vel in determinatis receptaculis lymphaticis.

Quæ ut clariùs illuceſcant, ſciendum eſt 1°. Ab extremis arteriolis ſanguineis oriri ductus lymphaticos arterioſos quorum diviſiones innumeræ ſuppeditant nevro-lymphatica (*a*) vaſa omnium lymphaticorum minutiſſima, ramuſculos emittentia ad partem quamcumque corporis, fermè inſenſibilia dùm in partibus nutriendis terminantur, retroflexa continuitate canalis in minimas venulas (*b*) nevro-lymphati-

---

(*a*) Vieuſſen. ſyſtem. vaſor. pag. 95 & 102.

(*b*) Vieuſſenius ſyſt. vaſor pag. 103. aſſerit ſe humorem lymphaticum exſudantem vidiſſe è vaſis quibus nutriuntur membranæ, ſeù è nevro-lymphaticis.

cas quæ in majores coëunt & in venis ſanguineis deſinunt. 2°. Ab ipſiſmet arteriolarum ſanguinearum apicibus oriri alia arterioſa lymphatica quæ paulò poſt ſuam originem commutantur in lymphatica venoſa, (*a*) valvuloſa, ſeù bartholiniana. Hi venoſi ductus à glandulâ lymphaticâ in glandulam tranſmigrantes, tandèm evaneſcunt implantati vel in vaſis lacteis, vel in ciſternâ lumbari, vel in ductu thoracico, vel in canali rorifero bilſii, tandem & aliquandò in ipſiſmet venis ſanguiferis.

Ubicùmque corporis reperiuntur, non-ſolùm nevro-lymphatica arterioſa ſed & venoſa quæ arterioſis multò magìs ſunt ſenſibilia: & è contrà pluribus in partibus deficiunt lymphatica

---

Non crediderim experimentum Vieuſſenianum factum fuiſſe in nevro-lymphaticis arterioſis quorum prodigioſa eſt tenuitas, ſed in nevro-lymphaticis venoſis quæ nos admittimus.

(*a*) Ruiſch. de valvulis lymphaticor. Malpigh. de ſtructur. glandul. conglob.

valvulosa. (*a*) Ergò nulla est pars corporis ubì non sedeat obstructio nevrolymphaticorum: quod nequaquàm dici potest de valvulosis lymphaticis.

Quadruplicem agnosco obstructionum lymphaticarum speciem.

*Prima*, vocatur *obstructio lymphatica valvulosa.* Fit in vasis bartholinianis minùs fluxilèm lymphæ portionem vehentibus: frequentiùs attingit loca glandulosá quorum textus favet stagnationi lymphæ.

*Secunda*, dicitur *obstructio lymphatica arteriosa simplex.* Sedem habet in arteriolis lymphaticis in venas lymphaticas valvulares, brevi post ortum, abeuntibus. Multò infrequentiùs primâ specie istam secundam evenire suspicandi ansam præbent major dictorum lymphaticorum arteriosorum cordi proximitas, brevissimum spatium quod habent percurrendum, patula via in am-

(*a*) Ruysch. de valvulis lymphaticor.

plas

-las venas lymphaticas valvulares.

*Tertia*, nomen habet *obstructionis ar-teriosæ nevro-lymphaticæ.* Occupat mi-nutissimos ductus arteriosos nevro-lymphaticos; succum cristallinum Vieussenio (*a*) cognitum ab arterioso sanguine secernentes & transmittentes. Obstructio hæc corpori maximè est in-fensa cùm nutritionis opus directè la-befactet & destruat: nullum est punc-tum corporis in quo non enascatur, cùm ubìcumque implantentur vasa hæc nevro-lymphatica nutritia.

*Quarta*, cognoscetur titulo *obstruc-tionis nevro-lymphaticæ venosæ.* Non adeò frequenter evenit in interioribus quàm ad exteriora corporis, ubì copiosiùs dispergunt illæ venæ. (*b*) Obstructio

(*a*) Vieussen. system. vasorum. pag. 103.

(*b*) Numerosiora lymphatica cutis, cum sangui-neis communicare quamplurimùm, demonstrant in-jectiones. Quorsùm verò sanguini ibì tàm abundanter infunderetur lympha valvulosa, quæ ex naturæ instituto, per glandulas conglobatas trajecta ad vias chili-feras defertur. Nova ratio suspicandi lymphatica cu-tis esse venas nevro-lymphaticas.

hæc fons eſt œdematum, cutem, membranam adipoſam, interſtitiaque muſculorum ſubcutaneorum, toties infeſtantium.

Nulla umquam futura eſt obſtructio lymphatica, quamdiù vigentibus ut in ſtatu ſano cordis viribus, debitèque apertis tubulis lymphaticis deſcriptis facilis eſt ſecretio & progreſſus lymphæ copiâ & conſiſtentiâ naturali donatæ in toto ſuo circuitu.

Verùm ſi vis truſiva cordis debilis ſit aut imminuatur, ſanguis in apicibus arterioſis lentè & difficulter progredietur, partes ſeroſæ ſpontè recedent à ſanguine rubro & copioſiſſimæ diffluentes ad latera in oſcula ſecretoria recipientur. Hìnc frequentia obſtructionum lymphaticarum in debilibus & infantilibus corporibus; atquè apud convaleſcentes, & viribus exhauſtos.

Et cùm minima ſit potentia renitens in parietibus lymphaticorum, facilis erit horum diſtentio & ampliatio ab humoribus congeſtis.

Liquidum vaſa lymphatica diſtendens hæc efficit inertiora & debiliora: mox per repetitos ſanguinis circuitus undèquaque affluens ſerum affatim tendit ubì minor (*a*) reſiſtentia, nempè ad vaſa obſtructa.

Itàque fiunt obſtructiones lymphaticæ cum debilitatis viribus vitalibus: ex ratione contrariâ intenduntur illæ vires in obſtructionibus ſanguineis. Globuli rubri violenter in vaſa collateralia adiguntur ad ſanguineam: fermè ſolo fluiditatis motu & quaſi ſpontè in lymphaticâ ſeſe inſinuat copioſius ſerum ad lymphaticam obſtructionem. Hinc non ineptè judicarunt antiqui Tumores ſanguineos à *fluxione*, lymphaticos à *congeſtione* oriri.

Eadem ſemper non eſt indoles materiei obſtructiones lymphaticas producentis aut foventis. Modò copioſiſſimo

(*a*) Per minorem reſiſtentiam vaſorum lymphaticorum obſtructorum intelligo majorem facilitatem quam habet ſerum ad hæc vaſa multùm dilatata ſubeunda.

ſero permixta omnia emollit, in œdematoſis: modò ſiccatur & concreſcit, in ſchirroſis: nùnc viſcoſa & ſalſuginoſa carnes putrefacit, in ſcorbuticis: nùnc in particulas ſummè tenues & duras conformatur, in ſiphiliticis: aliquandò ſummâ & peculiari viſcoſitate difficillimè emendandâ peccat, ut in ſcrophuloſis, &c.

Crebriùs autèm obſtructio lymphatica ſimplex, de quâ hîc, naſcitur à temperie cachecticâ; à reliquiis morbi prægreſſi; à pravo victu; ab impreſſionibus aëris humidioris; ab externis comprimentibus; ab acriori frigore; ab iis quæ corporis vires exhauriunt, & ab aliis millenis cauſis.

In obſtructionibus lymphaticis obſervandum ſedulò nùm cum viru quopiam complicentur, an ſimplices ſint? nùm eſſentialiter exiſtant per ſe illi Tumores, an ab alio morbo promanent? nùm ad exteriora tantùm & in extremitates corporis diffundantur obſtructiones lymphaticæ, an viſcera & quo-

què contaminentur? nùm oriantur à causâ particulari, an verò à depravatione generalis humorum massæ?

Obstructio lymphatica valvulosa & venosa nevro-lymphatica longè latèque extenduntur in partibus mollibus. Gravia sunt harum symptomata, dùm obstruuntur viscera, ut in œdemate pulmonum: mitiora ab obstructione externarum partium.

Obstructio nevro-lymphatica arteriosa labe clandestinâ destruit usquè ad ossis intimius.

Obstructiones lymphaticæ, in genere, functiones debilitant; corpori inertiam conciliant; plurium secretionum munus pervertunt.

Ad ponendam obstructionem lymphaticam; quæcumque sit, requiritur vel ut imminuatur vasorum receptaculorumque lymphaticorum cavitas; vel ut adaugeatur lymphæ moles; vel uno eodemque tempore utrumque fiat.

# CAPUT SECUNDUM.

## *De Oedemate.*

A Materiâ frigidâ & nominatìm pituitosâ ortum ducere Tumores œdematosos existimabant Antiqui, apud quos, in duas differentias statìm scindebantur illi Tumores; scilicet in veros seù legitimos quos à pituitâ naturali, in falsos aut illegitimos quos à pituitâ non naturali eruebant. Deìn ex diversis pituitæ qualitatibus varia explicabantur Œdematum phœnomena. Jamdudùm corruit hæc vetus theoria.

Hypocrates aliique plures, omnes omninò Tumores generico œdematis vocabulo designabant; undè certè in distinctione Tumorum enata confusio.

Nùnc verò à Tumoribus inflammatoriis non solùm segregatur Œdema, sed & exactissimè à cæteris Tumoribus

frigidis aliiſque quibuſcumque diſtinguitur.

Hujus notæ ſunt ſequentes, partis elevatio, color ſubalbidus aut cuti concolor, indolentia, frigiditas, circumſcriptio, mollities quæ prementi digito facilè cedit, foveâ excavatur foveæque veſtigium diù retinet.

### *Quænam ſit ſedes Oedematum?*

Ubicùmque reperiuntur vaſa lymphatica majora, (*a*) ibì ſedem ſuam ponit Œdema aut Tumor œdematoſus. Ergò toti fermè corpori inſidet.

Aſt Œdemate exteriori, quod deſcribimus afficiendæ partes ſunt, 1°. Tegumentum commune cutaneum, filamentis ſericea (*b*) fila non malè referentibus compoſitum, elegantiſſimis retibus ſanguineo & lymphatico orna-

(*a*) Nempè venoſa nevro-lymphatica, & lymphatica bartholiniana.

(*b*) Ruyſch. cathalog. rariorum tom. 1. pag. 138.

tum ; intrà fibrosa interstitia admittens à superiori parte mucosas expansiones minutissimas corporis reticularis Malpighiani, ab inferiori demissas laminulas textûs cellularis, atquè vascula lymphatica exilissima. 2°. Communis tunica adiposa efformata cellulis adiposis variæ formæ & capacitatis, maximè dilatabilibus, insignitis aggerie vasorum sanguineorum, lymphaticorum, adiposorum (*a*). 3°. Cellulosa interstitia fibrarum fasciculorumque musculorum sub tegumentis positorum. 4°. Textus cellularis repens intrà omnes illas partes.

## *Causæ Oedematis.*

Causæ occasionales Œdematis sunt,

---

(*a*) Admiserat in opere de omento, vasa adiposa Malpighius : in operibus posthumis confitetur ingenuè se illorum vasorum existentiam non adhùc integrè asserere audere.
Eadem vasa adiposa clarè demonstravit Vieussenius system. vas. pag. 99. & reipsâ existunt.

*Primò*

*Primò.* Eæ quæ nimiam ſeri & lymphæ copiam dimittunt ad cutem, tunicam adipoſam, textum cellularem aut ad vicinas partes. *Secundò.* Eæ quæ ibidem oſcula ſecretoria lymphatica nimìs dilatant, aut fines venoſorum lymphaticorum obturant. *Tertio* Eæ quæ texturam lymphaticorum aqueis partibus imbibunt, laxiorem reddunt, nimiſque dilatabilem. *Quartò.* Eæ quæ ſubtiliſſimum ſerum è vaſis textûs cellularis ſecretum in cellulis ejuſdem textûs diutiùs remorantur. *Quintò.* Eæ quæ tractûs lymphatici tàm arterioſi quàm venoſi capacitatem imminuunt. *Sextò.* Eæ quæ impediunt quòminus materies lymphatica benè elaboretur in ſanguine. *Septimò.* Eæ quæ lympham ſecretam craſi præternaturali contaminant.

Quibus diverſis efformandi Œdematis modificationibus anſam præbent conſtitutio ſeroſa, cachectica; debilia organa vitalia ſenum, puerorum, convaleſcentium aliorumque; cibi viſcidi, craſſi, glutinoſi; vita ſedentaria &

quæcumque iners corpus efficiunt; ingurgitatio liquorum ſanguinem nimìs diſſolventium aut morboſam moleculaerum inæqualitatem producentium; retenta menſtrua aut illorum fluxus immodicus; quædam ſeroſæ excretiones imminutæ; triſtes & diù detinentes animi affectus.

Ergò organa digeſtiva, chilificantia, ſanguificantia, circulatoria, ſecretoria, excretoria, animalia, ſuo quæque modo ad Œdemata producenda concurrunt magìs aut minùs remotè.

Nùnc verò inter accidentia externa è quibus Œdema promanat annumerentur compreſſiones, ligaturæ, contuſiones, ictus, caſus, immerſio in frigidam, acre frigus diù paſſum, aër humidior.

Si propter unam aut plures ex conditionibus enarratis eveniat lympham copioſiùs hærere in emollitis & relaxatis vaſis receptaculisque lymphaticis membranæ adipoſæ, cutis, textûs cellularis, muſculorumque ſubtegumento-

ſorum : illicò Œdema producitur.

## *Mechaniſmus & ſymptomata Oedematis.*

Ab inflammatorio opere prorsùs differt efformatio Œdematis : vigent enìm vires cordis & arteriarum in mechaniſmo inflammationis ; languent è contrà in Œdematis mechanicâ : ſubitò hæret ſanguis in vaſis inflammatis ; tardigradè obſtruuntur & dilatantur ductus lymphatici œdematoſi.

Quæ ut faciliùs percipiantur, attendendum ad ſequentia. 1°. Eò majorem futurum eſſe refluxum lymphæ in latera vaſorum, quò major eſt ejuſdem contentæ quantitas. 2°. Creſcere preſſionem hanc lateralem ab ſpiſſiori factâ lymphâ obſtruente. 3°. Flexilia eſſe admodùm & dilatatu facillima vaſa lymphatica ob nativam tenuitatem. 4°. Partium integrantium & fibrarum vaſa lymphatica componentium cohæſionem eſſe minimam ratione texturæ illorum vaſorum.

Iis itàque positis, si à causâ quâcumque ad vasa cutis, membranæ adiposæ, aut musculorum subcutaneorum naturali major determinetur lymphæ copia, aut si ille liquor spissior sit; pedetentìm fiet obstructio lymphatica: columnæ lymphaticæ antecedentes subsequentibus obsistent: novi succi lymphatici fiet aggestio, repletio lymphaticorum, major dilatatio flexibilium parietum: ponetur Œdema incipiens.

Interìm serum redundans & stagnans ab spiciusculis lymphæ moleculis segregatum fluitabit ad latera lymphaticorum; sese insinuabit intrà poros, fibras, membranulas; debilis ex suâ naturâ debilior evadet cohæsio solidorum in lymphaticis; numerosiora procreabuntur in ipsorum textu interstitiola; serositas imbibet, relaxabit, emolliet non solùm vasculosam texturam lymphaticorum, sed & etiam omnes partes circumpositas; hìnc *mollities* Tumoris: & à flaccidis fibris nerveis *indolentia*.

Progrediente malo abundantius se-

rum replebit cellulas tunicæ adipoſæ; id penetrabit intimiùs texturam vaſorum ſanguineorum lentum & ſeroſiorem ſanguinem ipſamet vehentium: vaſa hæc reddentur inertia; languida in iis peragetur circulatio ſanguinis, languidiores lymphæ motus concomitans: hìnc defectus agentium quibus debetur calor in noſtro corpore & conſequenter Œdemati adveniens *frigiditas*.

Porrò redundans in œdemate lympha ſubalbida, colorem ſibi proprium trans epidermidem reflectit; ità ut magìs *albicet* ille Tumor, cùm magìs turgeſcentia vaſa lymphatica majorem ſuperficiem exhibeant; minùs albicet, ratione contrariâ.

Nequè difficilè concipitur à tantâ ſeri copiâ adeò debere infringi partium ſolidarum in Œdemate elaterium, ut comprimente digito in foveam excavetur ille Tumor *diutiſſimèque ſervet foveæ veſtigium*, tùm propter fibrarum ineptitudinem ad ſeſe reſtituendum, tùm propter lentorem ſtagnantis lym-

phæ tardiſſimè hùc redeuntis undè expulſa fuerat. Quo maximè eſſentiali (*a*) ſymptomate Œdema diſtinguitur à Tumore ſeroſo qui compreſſus illicò reſtituitur.

Ergò novus omninò ſtatus partis quæ œdematoſa facta eſt. Hæc dicitur laborare Oedemate propriè dicto, dùm liquor obſtruens ità diſtendit vaſa à centro Tumoris remotiora ùt per *circumſcriptionem* diſtinguantur à vicinis ſanis circumambientibus. Diffuſus Tumor ille, abſque ullo poſito termino, Tumor œdematoſus nuncupatur. Iſte frequentiùs advenit altero.

Ex quâ brevi & ſimplici Oedematis mechanicâ collatâ cum cauſis jàm ſuprà relatis, explicatur cur corpori cachectico, ſenili, infantili, debilitato, exhauſto, à morbis reſurgenti, adeò frequentes Tumores œdematoſi? Cur

(*a*) Non adeſt illud ſymptoma in œdemate hyſterico Sydenhamii quod pendere dicunt à ſimplici congeſtione lymphæ in cellulis adipoſis abſque ſolidorum imbibitione.

illi apud gravidas? Cur iis Tumoribus extrema corporis præſertìm inferiora afficiantur? Cur difficiliùs diſcutiantur Tumores œdematoſi ab internâ causâ producti quàm ab accidenti externo? Cur rarò in moderatè exercitatis corporibus adveniant illi Tumores.

*Terminationes & Prognoſis Oedematis.*

Plerumque *reſolutione* terminatur ſimplex Oedema: vaſa enìm laxa & meabilia partis œdematoſæ lympham aut medicaminibus aut ſolius naturæ niſu attenuatam facilè reſorbent, aliorsùm abducunt nempè in communem humorem circulum; vel hæc extrà corpus avolat per tranſpirationem. Caveas nè exſiccantibus nimìs fortioribuſque reſolventibus topicis tractatum Oedema in induratum abeat.

Rarò per *ſuppurationem* ſolvitur Oedema, quippè inflammationi, quæ neceſſariò ſuppurationem antecedit, repugnant & cauſa frigida continens

Oedematis, & plurimùm laxa inertiaque vaſa, & ſanguis ſeroſus œdematoſus. Si tamen cauſâ quâpiam adaugente motum vitalem aliquando inflammetur Oedema, nuncupabitur *Oedema phlegmonodes* vel *eryſipelatodes.* Quod quidem utrumque ſemper habet ſigna peculiaria quæ Tumorem œdematoſum redolent, & quibus ab aliâ quâcumque inflammatione diſtinguitur Oedema inflammatorium. Languens eſt, ſeroſa, tædioſa multùm ſuppuratio illius Tumoris. Pertimeſcendæ clandeſtinæ tales ſuppurationes œdematoſæ, quæ aliquandò abſquè ullo incendio vicinas partes corrumpunt fiſtulaſque creant aut noxios abſceſſus.

Si fluidiore lymphæ parte diſſipatâ, materies concreta remaneat, Tumor indureſcit, *fit Oedema ſchirrodes.*

Ponitur & etiàm *Oedema gangrænodes* dùm per abundantiam vel per acrimoniam ſtagnantis ſeri, aut per aliam cauſam quamcumque ſuffocatur ſuperſtes in parte motus vitalis; ſivè in-

tegra

tegra remaneant vaſa, quod perrarum; ſivè diſrumpantur cum effuſione liquidi & ulteriori corruptelâ: periculoſiſſima hæc terminatio ob curationis difficultatem (a).

Oedema quod per ſe exiſtit plerùmque vacat periculo; grave autem cenſendum, ſi à morbo antecedente gravi oriatur; eòque tùnc magìs periculi ſecum importat, quò major eſt morbi primarii ſævities: ſic Tumores œdematoſi qui phthiſim pulmonarem, corporis conſumptionem, hydropem concomitantur magìs certè ſunt periculoſi quàm iidem Tumores quos chloroſis procreat. Tanquàm ſymptoma ſpectatum Oedema non curatur niſi exhauſto fonte è quo ſcaturivit nempè morbo primario curato.

Oedematoſi Tumores gravidis familiares ſpontè recedunt fauſtum poſt

(a) Cavè à gangrænâ quæ frequenter ſupervenit Oedemati penis ſeù bullæ criſtallinæ, niſi promptum feratur auxilium.

partum : in corpore ſenili raró curantur deficiente ſibimet naturâ : in ætate floridâ aut feliciter tolluntur, aut diù ſubſiſtunt ſervato reliqui corporis ſtatu ſano : in convaleſcentibus ſpontè ut plurimùm diſcutiuntur dummodò benè ſe habeat generalis humorum maſſa. Meliùs eſt ab accidenti externo fieri Oedema quàm à causâ internâ. Tumores œdematoſi in ultimâ phthiſeos periodo certa & conſtantia ſunt proximæ mortis indicia. Fallimur aliquandò in dijudicandis Oedematibus (*a*).

### *Curatio Oedematis.*

In Oedematis curatione attendendum an Tumor ille ſit alterius morbi ſymptoma, an exiſtat primariò & per

(*a*) In ſepulchret. anatom. Boneti legitur obſervatio Oedematis quo ſtudioſus Patavinus laboraverat in volâ per menſes aliquot. Simplex Oedema apparebat ; mox verò facto ulcere in volâ, inſtitutâ fuit manûs amputatio, & per diſſectionem oſſa metacarpii carioſa reperta ſunt. Tom. 3. pag. 28,.

ſe. In primo caſu peculiaris non requiritur medela quæ fruſtrà tentaretur, morbi fomite in affectibus primariis exiſtente : in ſecundo caſu ſequens curandi methodus locum obtinet.

1°. Si, reliquis benè ſe habentibus in corpore, pars œdematoſa tantummodò laboret, ſolis topicis utendum reſolventibus, exſiccantibus, corroborantibus, diſcutientibus, quorum ope lympha ſpiſſior dividitur, ſerum copioſius diſſipatur, laxa Oedematis vaſa corroborantur, exſiccatur pars & fit reſolutio.

2°. Si ortum ducat Oedema & foveatur à pravâ fluidorum diatheſi, tùnc, non ſolùm topicis ſublevandum Oedema, ſed & etiam remediis internis generalis fluidorum maſſa caſtiganda eſt. In hunc finem bonus ſit ſex rerum non naturalium uſus, ab humidiori aëre recedat æger, caveat à balneis, moderato gaudeat exercitio vitæque ſedentariæ non indulgeat.

Intereà exhibeatur catharticum è

claſſi hydragogorum deprömptum, quod valeat non ſolùm pravos ſuccos è primis viis eliminare, ſed ad colatorium inteſtinale affluens copioſius ſerum exprimere, expurgare; atque etiam ope partium medicamentoſarum quæ ſanguini admiſcentur, lympham ſpiſſiorem dividere & attènuare.

Expurgatis primis viis, morbus in ſuâ origine eſt debellandus. Ideò præſcribuntur aperientia, diuretica calida, hydragoga, ſtomachica calida, ſub diverſis formulis & ad varios virtutis gradus. Iis enìm auxiliis vitia lymphæ & partis ſeroſæ ſanguinis caſtigantur; dividuntur ſpiſſiores moleculæ lymphaticæ; aqua ſuperflua ad diverſa colatoria determinata evacuatur, omnibus humoribus conciliatur conſiſtentia naturalis & æquabilitas.

Fracturæ & luxationes quæ Oedematum aliquandò cauſæ exiſtunt, poſtulant oſſium reductionem ad ſitum naturalem & applicationem topicorum quæ in illis caſibus fiunt ex miſcelâ

adſtringentium & reſolventium.

Aliæ indicationes curatoriæ facilè eruuntur ex diverſis cauſis & ſymptomatibus Oedematis.

Jàm verò ex ſuprà dictis, patet 1°. Duplicem in tractatione Oedematis vitandum eſſe errorem; nè ſcilicèt humorum reſolutionem tentando, ulteriùs relaxentur ſolida, ut cùm imprudenter topica ex plantis reſolventibus & emollientibus Oedemati ſimplici applicantur: & è contrà dùm fortioribus adſtringentibus fluidior pars lymphæ exprimitur ſicciori parte ſuperſtite.

2°. Quò potentiùs attenuanda eſt lympha & quò majori copiâ evacuandum eſt ſerum, eò fortiora ſeligenda eſſe remedia tùm interna tùm externa: mitiora verò ob minorem quantitatem & ſpiſſitudinem lymphæ, atque ob Tumoris ſummam propenſionem ad reſolutionis exitum.

3°. Irritis remediis externis quibuſcumque applicatis Oedemati à vitio locali; ſi tùnc temporis quidpiam fu-

nesti timeatur ab aggerie seri acrioris facti; protinùs recurrendum ad ferrum ignitum (*a*) parti applicatum cujus efficaciâ dissipatur serum coarcevatum, fibræ molliores exsiccantur, abbreviantur & retrahuntur, undè hujusçe Oedematis medela.

4°. Deniquè patet non solùm inutilem esse venæ sectionem in tractando Oedemate, sed & noxiam. Verùm si inflammatio aut aliud symptoma sanguinem mitti expostulent, cautè & prudenter tùnc se gerere debet Medicus.

---

(*a*) Ferrum ignitum cum successu adhiberi in quâdam specie Tumoris œdematosi carpo & metacarpo advenientis testantur Guido de Cauliaco, cap. 4. tract. 2.

Et Marc. Aurel. Severin. de la Medecine efficace, tom. 1. pag. 616.

# CAPUT TERTIUM.

## *De Schirro.*

QUOD lapideum apoſtema apud Arabes, nos cum Græcis & Latinis Schirrum vocamus. Schirrus autem eſt Tumor renitens, durus, indolens, albus, aut cuti concolor, nùnc magìs, nùnc minùs prominens.

Glandulofas potiſſimùm corporis partes aggreditur Schirrus. Sit itàque.

### *De obſtructione glanduloſâ.*

Nihil obſcurius genuinâ ſtructurâ glandularum: undè ſumma difficultas in exponendis ipſarum obſtructionibus.

Triplex ſtatuenda eſt obſtructionis glanduloſæ ſpecies. Prima, nuncupabitur *obſtructio glanduloſa ſimplex:* Secunda,

*obſtructio glauduloſa conglobata*: Tertia, *obſtructio glanduloſa conglomerata*. In iis autem includuntur obſtructiones quæcumque humanis glandulis advenientes.

1°. *Obſtructio glanduloſa ſimplex* eſt obturatio excretoriorum ductuum glandularum ſimplicium, aut aliud quodlibet impedimentum ratione cujus excernenda quædam liquida, in dictis glandulis præternaturaliter retinentur.

Imminet hæc obſtructio ſi ab extremitatibus arteriolarum ſanguinearum circà folliculum glandulæ ſimplicis (*a*) ramificatarum nimia quantitas liquidi ſecernatur: ſi nimìs patula ſint ſecretoriorum glanduloſorum oſcula & in folliculum admittantur moleculæ majores quàm par eſt: ſi in cavo folliculi inſpiſſetur ſecreta materies quæ vas excretorium tranare non poterit: ſi glutinoſior contenta materies folliculi

(*a*) Malpighii opera poſth. epiſt. ad Soc. Reg. angl. pag. 1.

parietibus

parietibus adhæreat tenaciter : ſi à compreſſione imminuatur folliculi cavitas: ſi ab ſtimulo quopiam irritata membrana folliculi vi contractivâ ſibi propriâ cavum & etiàm minus efficiat: ſi obturetur vas excretorium glandulæ: ſi laxi nimìs glandulæ parietes faciliùs cedant appellentibus liquidis.

Facta obſtructio glanduloſa ſimplex producit nimiam preſſionem lateralem in parietes folliculi, diſtenſionem illius, compreſſionem vaſculorum fibrillarumque nervearum circà folliculum diramatarum (a): inſpiſſationem, exſiccationem, acrimoniam ſtagnantis humoris: læſam ſecretionem & excretionem liquidi glandulæ obſtructæ proprii; & quæ ex his fluunt.

Multiplici ex reſpectu eruuntur differentiæ obſtructionum glanduloſarum ſimplicium. 1°. Ratione molis glandulæ.

(a) Malpighii opera poſt. epiſt. ad Soc. Reg. anglic. pag. 1.

Aliæ enìm glandulæ ſimplices minimæ ſunt, ut miliares; aliæ majores, ut ſebaceæ; aliæ mediocres, ut ſolitariæ inteſtinales. Datis iiſdem cauſis obſtruentibus, faciliùs obſtruitur glandula ſimplex minor, majori. 2°. Ratione figuræ glandulæ, quæ varia obſervatur, ovalis, rotunda, oblonga, lenticularis, ſuperiùs excavata. Undè intimiùs perſcrutatur mechanica obſtructionis in glandulis ſimplicibus cognitis diverſimodè configuratis. 3°. Ratione ductûs excretorii qui ſtrictiſſimus in certis glandulis ſimplicibus, ut in ſudorificis (*a*); amplior in aliis, ut in ple-

---

(*a*) Obſervatio facta à Ruyſchio probat, mirum in modum ampliari poſſe canales excretorios noſtri corporis etiam minutiſſimos. Celeberrimus ille Anatomicus vidit puellam quæ certis temporibus patiebatur ſudoris ſanguinei excretionem. Illud autem inerat maximè advertendum in prædictâ excretione quod ſcilicèt ſanguis ſaliendo excernebatur ſanguinis arterioſi more. Undè meritò concludebatur ab arteriolis ſanguineis cutis cruorem ſubire dilatatos ductus excretorios perſpiratorios.

Legatur hæc obſervatio apud Ruyſch. tom. 2. adver. anatomic. dec. 3. pag. 13.

riſque ſebaceis. 4°. Ratione ſitûs folliculorum glanduloſorum, quorum aliqui ſub planis muſcularibus locantur forsàn & à fibris carneis circùmambiuntur (*a*) undè compreſſio folliculi & facilior excretio; dùm alii è contrà nullas habent fibras carneas vicinas, quibus contractis emulgeantur. 5°. Ratione viciniæ reſpectivæ glandularum. Quædam ſolitariè diſponuntur, neque vicinas habent glandulas quas comprimant, aut à quibus comprimantur, tales ſunt inteſtinales ſolitariæ; ratione contrariâ in glandulis plexiformibus, coacervatis, ampliari non poteſt unus folliculus quin vicinorum compreſſorum cavitates imminuantur majorque fiat in parte obſtructio. 6°. Demùm ratione materiei in diverſis glandulis ſimplicibus ſecretæ, quæ oleoſa in ſebaceis, ſubſalſa in miliaribus, fluxilior in inteſtinalibus ſolitariis, ſpiſſior

(*a*) Malpigh. epiſtol. ad Societ. Reg. anglic. pag. 1.

in racemoſis & plexiformibus.

Cauſa continens obſtructionis glandulosæ illud eſt, quod ſecretæ in glandulis ſimplicibus materiei excretionem præpedit. Cauſæ occaſionales ſunt eæ quæ tùm in interioribus progenitæ tùm ab exterioribus advenientes, cauſæ proximæ & continenti producendæ magìs aut minùs remotè concurrunt.

Ab obſtructis glandulis ſimplicibus fiunt in cute tubercula, papulæ aliique parvuli Tumores qui ut plurimùm nihil habent infauſti, & quorum plura artis auxilium non demerentur. In viſceribus pejora ſunt prædictarum obſtructionum morboſa phœnomena.

Obſtructionis glanduloſæ ſimplicis ſedes externæ ſunt palpebrarum facies interior & limbus, ductus auditorius externus, aliæ partes exterioris auris, naſi externam cavitatem obveſtiens membrana, oris cavum cutisque univerſa.

2°. Toties ponitur *obſtructio glanduloſa conglobata*, quoties humor lymphaticus ad corpora quædam, glandulæ

conglobatæ, dicta, delatus, non eâdem proportione ex iis egreditur quâ ingressus fuerat.

Hæc obstructio oritur ex nimiâ copiâ lymphæ ad glandulam conglobatam delatæ: ex mixtione ejusdem cum partibus heterogeneis inspissantibus potissimùm: ex chili crassioris adventu ad quasdam glandulas ut ad mezentericas: ex externâ compressione factâ in glandulam: ex nativâ malâ conformatione glandulæ humores in textu suo difficulter transmittentis: ex nimiâ densitate & crassitie membranæ glandulam exteriùs investientis: ex nimiâ vi contractili carnearum fibrarum (a) sub exteriori membranâ glandulæ positarum: ex debilitate textûs fibrosi glandulæ: ex nimiâ dilatatione arteriarum venarumque sanguiferarum quæ corpus glandulæ subintrant & suprà fibras carneas

(a) Malpigh. opera post. Epistol. ad Soc. Reg. angl. p. 2.

diſperguntur: ex præternaturali diſtenſione uniûs aut plurium loculorum ſeu folliculorum intrà glandulam poſitorum: ex effuſione liquidi per diſruptos ipſoſmet loculos: ex calore nimio tùm febrili, tùm locali partes aqueas & ſubtiliores lymphæ in glandulis contentæ diſſipante: apud infantes ex pravâ lactatione aliisque cauſis: in omni ætate ex labe hereditariâ lympham coinquinante.

Folliculorum, qui in glandulâ conglobatâ continentur, exiſtentia, tàm luculenter à Malpighio demonſtratur, ut circà hoc expertiſſimi illius Anatomici verba ipſamet tranſcribenda eſſe judicaverimus....

» In medio cujuſcumque areæ loca-
» tur loculus ſeu folliculus glanduloſus,
» qui rotundâ vel ovali conſtat formâ,
» & ex majori minori-ve contenti cor-
» poris copiâ amplior vel contractior
» redditur. Membranâ candidâ integra-
» tur molli, quæ evacuato humore in
» ſe ipſam collabitur, & ſi ſecetur con-

» cavitas obvia fit, & persimilis est glan-
» dulis lienis. Interdùm gemini loculi,
» vel tres in eâdem areâ continentur.
» Quoniam tamen contrectatis glandu-
» lis hujusmodi loculi exinaniti contra-
» huntur & obturantur, ideò non per-
» petuò facilè patent, & per plura
» lustra meam mentem & oculos du-
» bios reddidêre; tandem in glandu-
» lis ægrotantium Boüm & similium ef-
» fulsit lux; interdùm autem adauctas
» glandulas ad latitudinem manûs de-
» prehendi, in quibus loculi tartareâ
» materiâ referti ità turgebant, ut exi-
» guâ indagine paterent. Deductâ igi-
» tur observatione in minùs morbosas,
» & postremò in integrè sanas, vera
» patuit compages. In exaratis itàque
» glandulis quæ obstructæ dicuntur
» folliculorum membrana solidior &
» crassior existit, factâ comparatione
» cum sanis, & circà ipsas manifestio-
» res propagines vasorum sanguineorum
» varicosæ & reticulares quas interdùm
» in loculis grandioribus & quasi rubi-

» cundis admiratus ſum. Ut autem in
» ſingulis glandulis emergeant loculi,
» exterior portio glandulæ luſtretur,
» nam ſinguli Tumores exturgentibus
» intùs loculis patent, & ſectâ glandulâ,
» ſub ipſâ membranâ loculorum ordines
» fibrarum areis circumſcripti occur-
» runt. Glandularum expoſiti folliculi
» replentur humore quodam cinereo,
» & parùm diaphano, ſi in naturæ
» ſtatu ſpectentur : cæterùm ægro-
» tante animali diverſa corpora con-
» tinentur; ut plurimùm tartarei mu-
» coſique humores, vel concreti ſucci,
» ut in reliquis Tumoribus paſſim ob-
» ſervamus.

Et paulò infrà......

» Aliud quoque addam quod caſu mihi
» obſervandum in Bove contigit, in
» quo tres glandulæ cavæ hepatis parti
» monſtruosè adauctæ hærebant, ità ut
» quælibet magnitudinem ovi anſerini
» æquaret : & cùm lymphaticum vas
» inſigne pluribus ſurculis in unam ex
» expoſitis glandulis productum appare-
ret,

» ret, immiſſo atramento ſyringâ in-
» trà exaratum lymphaticum versùs
» glandulam, illicò exteriùs emerſêre
» loculi glandulam conglobatam com-
» paginantes atramento turgidi, & in-
» gens portio ejuſdem glandulæ deni-
» grata eſt, turgentibus reliquis lym-
» phaticis ſurculis ultrà productis; fac-
» tâ deindè loculorum apertione, a-
» tramentum in ſingulis ſtagnabat.

Hæc Malpighius in operib. poſthum. epiſtol. ad Soc. Reg. anglic... Attentè & quoquè perlègantur ea quæ ad demonſtrationem folliculorum glandulas ſimplices conſtituentium protulit immortalis Boërhaavius in epiſtolâ anatomicâ ad Ruyſchium.

Obſtructio glandularum conglobatarum non poteſt dici ſtrictè loquendo, morbus in excretione læſâ, (quod verum eſt de aliarum glandularum obſtructionibus) fit enìm tantummodò in conglobatis ſimplex tranſmiſſio lymphæ valvuloſæ alibì ſecretæ. Frequentior eſt hæc obſtructionis ſpecies in ju-

venili ætate quàm in ſenili. Marceſcunt enìm & ſæpè ad ſimplicem membranam rediguntur conglobatæ glandulæ in provectioribus.

Natam in humano corpore obſtructionem glanduloſam lymphaticam ſubſequuntur effectus diverſi prò diverſitate organorum quibus inſident glandulæ obſtructæ. In genere ab obſtructis glandulis conglobatis ſanguis defraudatur parte illâ mucilaginoſâ & tenui quæ poſt diverſos circuitus arterioſa nenevro-lymphatica invadit ut corpori nutrimentum ſuppeditet ipſiusque deperditiones reſarciat: quod annotetur præcipuè in obſtructionibus glandularum mezentericarum.

Ab humore lymphatico abundanti & ſeroſiore creſcit moles glandulæ, ejusque textus fit laxior: à lymphâ ſiccâ & concretâ indureſcit corpus glanduloſum: ab acriori & copioſo ſucco lymphatico diſtenſæ eroduntur & deſtruuntur membranæ glanduloſæ.

Præcipuæ glandulæ conglobatæ qua-

rum aucta moles ad exteriora corporis prominet ſunt lymphaticæ parotides & lymphaticæ maxillares Winſlovii; quædam aliæ in collo diſperſæ; lymphaticæ axillares; claviculares; thoracicæ externæ; adipoſæ abdominis; inguinales, &c.

3°. Obſtructæ glandulæ conglomeratæ quales ſunt pancreas, parotides, maxillares, tertiam conſtituunt obſtructionum glanduloſarum ſpeciem; nempè *glanduloſam conglomeratam obſtructionem.*

Notum eſt omnibus eâdem vi contractivâ cordis quâ ſanguis in arterias protruditur, alios humores è penu ſanguinis depromptos trajici in orificia vaſorum ſecretoriorum non figurâ ſed amplitudine inter ſe tantùm diſcrepantia.

Ergò contracto corde, ſibi adaptata liquida recipient ductus ſecretorii glandularum conglomeratarum.

Quamdiù in prædictis glandulis ſecretiones & excretiones ritè peragen-

tur, tamdiù nulla dabitur harum obſtructioni occaſio.

Hanc verò producunt aut abundantiores aut ſpiſſiores moleculæ liquidi ſecreti: imminutio cavitatis minutiſſimorum ductuum ad canalem glandulæ communem confluentium: præpeditus liquidi transfluxus per ſtrictiorem viam ductûs communis excretorii: prava mixtura alterius humoris cum liquido glandulæ obſtruendæ, utì fit urinæ refluxu ad glandulam conglomeratam: obturatum orificium externum ductûs excretorii communis: uno verbo, quodcumque valet aut excretoriorum cava minora efficere, aut molem transfluendi liquidi majorem, vel utrumque.

Quid ex obſtructione glanduloſâ conglomeratâ corpori eventurum ſit patebit ex cauſâ obſtruente, ſymptomatibus, naturâ liquidi in obſtructâ glandulâ ſecreti, ſitu glandulæ partiumque vicinarum, temperie ægrotantis, morbi complicatione, &c.

## *De ſede Schirri.*

In omnibus humanæ machinæ partibus mollibus enaſci Schirros probant obſervationes medicæ & apertiones cadaverum. Iis Tumoribus ſæpè infeſtatur ſubſtantia hepatica, lienaris, pancreatica, renalis: ventriculo & inteſtinis ſupernaſcuntur Schirri: Schirro uteri & mammarum non raró laborant mulieres: eo Tumore afficitur & quoquè veſica urinaria: & ſic de cæteris organis interioribus quibus, datâ cauſâ, Schirri adveniunt.

Horum ſedes frequentiſſimæ ſunt loca glanduloſa & organa ſecretoria tùm lymphatica, tùm alia.

Schirri exteriores occupant inguina, teſtes, mammas, axillas, collum, interiora oris, nares, oculos, cutem, tunicam adipoſam, textum cellularem, muſculos, membranas quæ inveſtiunt oſſa, cartilagines, tendines, ligamenta; & glandulas præſertìm omnium illarum partium.

Eo autem jure ſedes communior Schirri ſunt glandulæ, 1°. Quia ſummè intricata eſt ipſarum compages anfractibus, folliculis, vaſculoſis glomeraminibus, immiſſariis emiſſariis ductibus, &c..... Exindè enìm de facili vitiantur glandulæ à congeſtionibus factis, minimâque datâ causâ obſtruuntur. 2°. Quia hærent obſtinatè obſtruentia liquida in glanduloſis carceribus. De ſummâ propenſione glandularum ad obſtructiones differens Malpighius advertit optimè, *naturam tàm multiplices glandulas condidiſſe, ut deficientibus aliquibus, aliæ præſto eſſent.*

## *De Schirri materiâ.*

Schirros ab atrâ bile generari dixerunt antiqui. Mirificam mixtionem inſtituebant pituitæ præternaturalis & humoris melancholici naturalis : undè Schirri materia. Ab humore craſſo & viſcido illos Tumores produci Galenus evulgavit. Deìn, ex obſtruente ſan-

guine partibus ſubtilioribus ſpoliato, coagulato & indurato exiſtimarunt aliqui Schirros progigni. Tandèm inter recentiores (*a*) pinguedo concreta & corrupta hærens in tunicâ celluloſâ glandulæ, pro genuinâ materiâ Schirri aſſignata fuit.

Etiamſi ſuccus lymphaticus concretus & induratus, pro Schirri materiâ, jure meritò hodiè admittatur; attamen mìnutiùs rem perſcrutando evidens eſt ſuccum illum non unicam eſſe Schirrorum diverſorum materiem. Etenìm liquidum pancreaticum (*b*) concretum in ductibus virſunghianis; indurata in biliferis bilioſa (*c*) materies; in criptis folliculisque propriis indureſcens (*d*) ſebaceus humor; con-

(*a*) Gorteri chirurgia repurgata, pag. 289.

(*b*) Paſſim apud omnes fermè obſervatores leguntur Schirrorum pancreaticorum exempla.

(*c*) Schirri hepatici qui adeò frequenter infeſtant infantes; homines melancholicos; virgines ictericas, chloroticas.

(*d*) Morgagnius pluribus in locis. Boërrhavius epiſtol. anatomic. ad Ruyſch.

crescens in glandulis pituitariis mucosus (*a*) narium succus; hærentes & indurati in glandulis vasculisque secretoriis intestinalibus (*b*) succi intestinorum; in lapideam indolem (*c*) commutatus seminalis liquor: ex iis omnibus observatis certò concluditur non solùm lympham propriè dictam, sed plures alios humores secretorios concurrere ad suppeditandam Schirrorum materiem.

Ergò duplex admittenda species materiei schirrosæ. Prima merè est lymphatica ut in Schirris glandularum conglobatarum. Altera minùs simplex dicitur biliosa, salivaris, urinosa, seminalis; totque variis insignitur nominibus, quot sunt diversa colatoria in quibus fiunt Schirri.

---

(*a*) Ruysch. epist. anatomic. 9.

(*b*) Stalpartius. tom. 1. observat. pag. 237. Fabric. Hildanus centur. 2. observ. 86. pag. 293.

(*c*) Vidi Parisiis mense Septemb. 1752 in cadavere rustici cujusdam testiculum cui supervenerat Schirrus pugni magnitudinem æquans: à compressione ortum fuisse testabatur ægri relatio: dissecui Tumorem in cujus cavo reperii pulverem marino prorsùs similem.

Fatendum

Fatendum tamen, inter varios humores, ſuccum lymphaticum, palmam præripere in Schirris producendis: forsàn & nullus ſit Schirrus à materiâ ſecretoriâ quâcumque, quìn materiei ſchirroſæ permiſceantur partes lymphaticæ.

Similis igitur natura materiei œdema & Schirrum conſtituentis, ſcilicèt lymphatica: eò cum diſcrimine quòd multo ſero permixta aquoſisque partibus dives lympha œdematoſa cuncta emolliat & relaxet; dùm ſicca, concreta, dura lympha ſchirroſa, corporis ſolidi ad inſtar hæret præfixa parti ſchirroſæ.

Itàque nùnc probè novimus quænam ſit præcipua Schirrorum ſedes; novimus & etiàm quænam ſit ipſorum materies.

Ad illius productionem concurrunt conſtitutio phlegmatica, melancholica, cachectica; vita ſedentaria, aut nimìs exercitata; ſanguis vel ex nativâ indole, vel per accidens mucoſus, ter-

reus; maſſa generalis lymphæ craſſæ & tenacis, aut in grumos inſpiſſatæ; viru quodpiam ex genere coagulantium lympham inquinans; humores ſecretorii quicumque nimiâ copiâ partium fibroſarum, oleoſarum, terrearum onerati; metaſtaſis materiei lymphaticæ inflammatoriæ ad loca glanduloſa; mala tractatio œdematis; impreſſiones aëris aut humidioris aut ſiccioris; longæ vigiliæ; craſſorum, viſcidorum, crudorum alimentorum frequens uſus; parti inflammatæ applicatio fortiorum reſolventium & repercuſſivorum, quibus diſcutitur ſanguis, ſed figitur ulteriùs lympha in vaſis inflammatis; cohibita ſuppuratio in glanduloſis præſertìm locis; compreſſio glandularum aut aliorum organorum ſecretoriorum quâ ſiſtitur effluxus liquidi ſecreti, mox inſpiſſandi; debilitas in textu vaſorum aut receptaculorum ſecretoriorum ratione cujus remorantur liquida in iis & concreſcunt: uno verbo, Schirrus pro cauſâ habet quidquid ità afficit organa

partium quæ Schirrorum ſedes futuræ ſunt, aut ità alterat naturalem conſiſtentiam liquidi contenti, ut ſiſtant humores, & exurgat materies ſchirroſa, qualis deſcripta ſuperiùs.

*De efformatione Schirri ſimplicis.*

In efformatione Schirri duo diverſa ſtadia conſideranda ſunt. In primo ſtadio lympha affluit & congeritur: in altero concreſcit & induratur.

1°. Lymphæ congeſtio hæc fit à cauſis generalioribus obſtructionis lymphaticæ. Quæ cauſæ in efformando Schirro verſantur circà aptitudinem loci qui est plurimùm glanduloſus ad lymphæ moram: circà abundantiam aut inſpiſſationem lymphæ congeſtæ molem majorem efficientis quàm ut poſſit anguſtiſſaria locorum obſtructorum ſubire & percurrere.

Lympha congeſta obicem ponit ſubſequentibus lymphæ columnulis oppoſitum: creſcit quantitas ſuc-

ci lymphatici in obſtructis organis quæ modò glanduloſa ſunt, modò vaſa lymphatica ſolitaria, modò retia plexiformia lymphatica.

Lympha quæ in vaſis receptaculisque coacervatur, tenax admodùm & ſpiſſa; maximâ preſſione laterali diducit membranas ſolidorum coërcentium. Hinc amiſſus ſolidorum tonus aut multùm imminutus, cui ſuccedit uberior faciliorque affluxus lymphæ ſpiſſa vel inſpiſſationi diſpoſitæ.

2°. Quantacumque ſit indoles ſchirroſa lymphæ in corpore circulantis, certâ debet gaudere fluiditate ut vaſa propria percurrat. Ergò non concreſci & induratur materies lymphatica niſi poſt congeſtionem factam: ità ut plures ſint & diverſi alterationis gradu in lymphâ congeſtâ, coacervatâ, remorante, inſpiſſatâ, exſiccatâ, concreſcente, durâ.

In congeſtâ lymphâ ſchirroſâ diſſipantur aquoſa calore, motu, fortioribus reſolventibus aut repercuſſivis

condensatione spontaneâ, remorâ.

Difflatis mobilibus & aquosis (*a*) crassa & terrestria adunantur, compinguntur; paucis aut nullis intermediantibus partibus aqueis suprà se invicem concidunt spissæ lymphaticæ moleculæ quarum ex adunatione exurgit fex lymphatica iners, omni motu tùm circulatorio tùm intestino orba, de die in diem durior evadens.

Dura moles lymphatica pressione laterali invincibili & adeò obstinatè distendit solida continentia ut fibræ fibris uniantur, membranæ membranis, vasorum parietes inter se. Hìnc interceptus quilibet motus non solùm in cavo Schirri, sed & in membranis am-

---

(*a*) Aqueæ partes lymphæ schirrosæ dissipantur aut avolando per viam transpiratoriam, aut per oscula vasorum absorbentium ad communem humorum circuitum redeundo, aut veluti per transcolationem subeundo interstitiola vasorum obstructorum & sic ad libera vasa properando. Tardiùs aut promptiùs dissipantur eæ partes aqueæ, proùt magìs aut minùs energicæ sunt causæ dissipantes.

bientibus. Si omnimoda ſit & abſoluta in parte motûs privatio, Schirrus perfectus eſt: ſi alicubì partis ſchirroſæ motus ſuperſit; imperfectus tantummodò ponitur Schirrus.

Schirri à lymphâ efformantur in lymphaticis, gignuntur ab induratâ adipe in membranâ adipoſâ & ab aliis materiebus ſecretoriis induratis in colatoriis diverſis.

*Differentiæ in Schirris annotandæ.*

Schirrus *propriè dictus*, ille eſt qui cum ſymptomatis in definitione allatis habet circumſcriptionem, quâ caret Tumor *ſchirrodes* qui Schirro propriè dicto magìs diffunditur: *Exquiſitus* eſt Schirrus qui fit à lymphâ; *non exquiſitus* qui oritur ab induratis aliis humoribus ſecretoriis, utì ſalivâ, ſucco pancreatico, bile, ſemine, muco &c..... *Perfecti* ſunt Schirri, dùm concreta materies omni vehiculo orbata immobilis eſt, numquàm commovenda & ibidèm

invariabiliter defixa, membranæ autem coërcentes omni fluido ſunt deſtitutæ, vaſaque cuncta omninò ſunt obliterata; uno verbo dùm pars ſchirroſa demortua eſt, ſed ſine putredine: *imperfecti* ſunt Schirri quorum materia non adeò eſt compacta quìn liquari poſſit, & quorum vaſa aliqua adhucdùm proprio gaudent motu.

*Benigni* nomen habet Schirrus cujus materies non acrimonioſa eſt, manetque immobilis: ſupervenit *malignitas*, dùm humores qui anteà quieverant, in motum aguntur, acres fiunt, corrodunt vicinas partes. Imperfectus Schirrus, malignus fieri poteſt quod perfecto numquàm eveniet. *Purum* nominamus Schirrum à materiâ lymphaticâ non inquinatâ conflatum: *Impurus* fit dùm aggeſta ſchirroſa materies inficitur viru quopiam, ſcrophuloſo, ſcorbutico, cancroſo, venereo.

Parti alicui ſanæ ſuperveniens Schirrus dùm exiſtit per ſe *primarius* dicitur; ſi Schirrum in eâdem parte præceſſe-

rit morbus primarius ut phlegmone, ulcus præmaturè clauſum &c. *Secundarius* nuncupatur Schirrus. *Simplex* eſt Schirrus qui nihil habet quod non ſit de ſuâ eſſentiâ : *complicatus* qui jungitur cum quopiam ſibi alieno; talis eſt Schirrus phlegmonodes, eryſipelatodes, œdematodes, cancrôdes.

Annotandæ & quoquè ſunt Schirrorum differentiæ ratione partium Schirro affectarum, an ſint glandulosæ, tendineæ? &c... Ratione muneris parti affectæ proprii, nùm viſui, nùm maſticationi, nùm motibus muſcularibus obſtet Schirrus? an à pluribus annis, aut à pauco tempore exiſtat ille Tumor? & ſic de aliis tùm eſſentialibus tùm accidentalibus Schirrorum differentiis.

## *Signa & effectus Schirri.*

1°. Tumet Schirrus ob dilatationem vaſorum & conceptaculorum à lymphâ congeſtâ.

2°

2°. Renititur atquè durus eſt à compactâ ſiccatâque materiâ & à tenſis membranis ambientibus, cedere neſciis.

3°. Indolens eſt ob conſtantem & validam compreſſionem fibrarum nervearum quæ nequè fluidum nerveum tranſmittendi, nequè vibrationis ſuſcipiendæ ſunt capaces. Si quis autem ſenſus in Schirro imperfecto percipiatur, oritur ex minori compreſſione nervorum quorumdam adhùc vibratilium.

4°. Ab Schirris ſubtegumentoſis non mutatur cutis color: magìs autem albicat Schirrus dùm exterior eſt ob albidum lymphæ coacervatæ colorem trans cuticulam reflexum.

5°. Schirrus propriè dictus circumſcribitur, dùm nulla circumſcriptione deſignatur Tumor ſchirrodes. In primo caſu certa lymphæ coacervatæ quantitas minùs occupat ſpatium, multòque magìs cutem exteriùs propellit: quod fieri nequit, quìn obſerventur termini quibus baſis Schirri à ſanis partibus circumambientibus diſtinguitur: eadem

lympha in Tumore ſchirroſo diffunditur magìs atquè ſenſim in partibus vicinis evaneſcens, terminos vix ſenſibus obvios ponit. Illud notatu dignum videtur in plerisque Schirris circumſcriptis glandulas obſidentibus, quòd limbus circumſcriptionis veluti denticulatus tactui appareat, aut confectus globulis inæqualibus, parùm politis, irregulariter diſpoſitis; cujus phœnomeni ratio petenda eſt ex folliculis glandularum hùc & illùc diductis & protuberantibus ob lympham concretam & velutì in globulos duros irregulares conformatam.

Iidem non ſunt Schirrorum quorumcumque effectus. Peſſimi ſunt quandòque in internis ſedibus. Supernaſcentes in inteſtinali tubâ volvulum (a) creant: in utero non ſterilitatem tantùm aut partum difficilem producunt, ſed &

(a) Fabric. Hildan. centur. 1. obſervat. 61. pag. 74.

(*a*) plura alia graviſſima ſymptomata. In liene poſitus Schirrus ſubſequentes habet ſæpiſſimè hydropes, aliosque affectus chronicos, &c...

Schirrus tùm internè, tùm externè vicinas partes comprimit quarum pro diverſitate varii effectus oriuntur.

Nullâ conjecturâ opus eſt ad Schirros exteriores ſolo ſenſuum miniſterio dijudicandos. Aſt ſi quis ratiocinio locus ſit pro Schirris internis, illi & cauſis prægreſſis & ſymptomatibus benè perpenſis dignoſcuntur (*b*). Calent,

---

(*a*) Plura extant obſervata Schirrorum uteri apud prælaudatum Fabric. Hildanum; inter quæ, Chirurgus ille centur. 7. obſerv. 57. refert ſe versùs quamdam honeſtam mulierem fuiſſe advocatum, quæ per ſex dies integros parturitionis doloribus in vanùm excruciata, è vitâ tandem deceſſerat. Aperto cadavere, uterum dilaceratum & caput infantuli in abdominis cavitatem dimiſſum reperit Hildanus. Cujus horrendi phœnomeni cauſa fuerat Schirrus immenſæ molis utero adhærens & colli uterini viam obturans egreſſuro fœtui.

(*b*) Ipſomet tactu percipiuntur quidam Schirri interni, talis eſt Schirrus ad convexam hepatis ſuperficiem poſitus.

rubent, pulſant Tumores phlegmonodei; frigeſcit, palleſcit, numquam pulſat Schirrus ſimplex: digito prementi œdema cedit, cui Schirrus reſiſtitur: Cancer occultus dolet, Schirrus indolens eſt: iis variisque aliis ſignis Schirrum inter & alios quoſcumque Tumores non dubia datur diſtinctio.

## *Schirri prognoſtica.*

1°. Schirrus interior periculoſior eſt externo, tùm ob difficiliorem medelam, tùm ob præſtantiam organorum internorum.

Schirrus exterior factus ab accidenti externo minùs periclitatur quàm ſi à vitio interno profluat.

Schirri à pravâ & generali humorum diatheſi, etiamſi curati fuerint, ſæpè revertuntur.

Satius eſt illi quàm alteri parti inſidere Schirros exteriores: ſic peſſimum eſt Schirrum ſupercreſcere ocu-

lis (*a*): pessimum & quoque uterum indurari, sæpè enìm abit in cancrum semper mortiferum.

2°. Schirros perfectos eosdem semper futuros esse pronuntiandum est quìn vel minima iis adveniat mutatio nequè in melius neque in pejus.

Schirrus perfectus in propriâ suâ naturâ consideratus nullum potest inferre (*b*) damnum, quatenùs immobilis in materiâ contentâ immobilis in vasis receptaculisque continentibus, tamquam corpori extranea pars spectari debet, nullum cum cæteris partibus iniens commercium. Si quid igitur noxii ab Schirro perfecto, corpori adveniat, tri-

(*a*) Fabricius Hildanus centur. 1. observ. 1. vidisse se profert Schirrum extrà palpebras prominentem, ovo anserino majorem, lividum, jam ad cancrum vergentem, immani hæmorragiâ aliisque gravissimis symptomatis stipatum, feliciter tamen curatum illæsâ visione.

(*b*) Schirros perfectos nullâ sine noxâ etiàm in interioribus corporis posse diù subsistere demonstratur observatione multiplici in cadaveribus factâ.

buendum illud eſt auctæ moli majorique ponderi quibus vicinæ partes compreſſæ, diſtractæ, aggravatæ functionibus exercendis impares evadunt.

Imperfecti autem Schirri reſolvi poſſunt, ſuppurari, aut cancroſi fieri.

Semper timendum in tentatâ Schirri reſolutione nè humores attenuati & in motum acti acrimoniam concipiant.

Expectanda eſt Schirri reſolutio, ſi imminutâ paulatìm & minùs durâ factâ Schirri mole, nequè dolor in parte nequè ulla inflammationis ſuppurationis aut cancri ſigna manifeſtentur.

Diffidendum ab Schirri imminutione quæ applicationem fortiorum reſolventium & repercuſſivorum ſubſequitur: etenìm hujuſce imminuti Schirri reliquiæ ſæpè cancrum excitant, aut Schirrum imperfectum in Schirrum perfectum commutant.

Si Schirri imperfecti cutis exterior incaleſcat & ad limbum Tumoris rubeſcat, fit Schirrus inflammatorius qui in ſuppuratum abire dijudicandus dùm

prægreſſis calore, rubore & pulſatione remoleſcit Tumor. Suppurantis Schirri paucum eſt, ſpiſſum, & lentum liquamen; ſiccitas in oris ulceris, pigra carnium pullulatio, partis indolentia. Si in ſuppurantibus glandulis ſupprimatur effluxus puris, Schirrum præſagimus futurum.

3°. In Schirro propriè dicto ſeù circumſcripto cum lympha ſit in vaſis aut conceptaculis magìs coacervata & concreta, ideò difficiliùs diſcutitur Schirrus ille, quàm Tumor ſchirrodes cujus lympha magìs diffunditur minoremque eſt adepta duritiem.

4°. Benignus Schirrus periculoſus non eſt: malignus eò majus ſecum importat periculum, quò major eſt illius malignitas, & quò major eſt in Schirro maligno humorum acrimonia.

5°. Schirri impuri, ſeù viru quopiam inquinati, prognoſis eruitur, & à naturâ virûs, & à ſymptomatis quæ ab eo producuntur, & à partibus quibus Schirrus impurus inſidet.

6°. Schirrus primarius sortem sequitur causæ à quâ ortus est: secundarius variat in eventibus pro sævitie, vetustate, naturâ morbi primarii à quo originem sumit Schirrus.

7°. Inter complicatos Schirros phlegmonodeus si vires insufficientes habeat suppurationi perficiendæ, sæpè tùnc in cancrum vertitur. Semper pauca & lenta est Schirri phlegmonodei suppuratio. In Schirro erysipelatoso livor aut nigredo partis mortificationem denuntiant. Dùm œdemati complicatur Schirrus timendum nè rursùs mollior facta materies cancrum accersat (*a*). Om-

(*a*) Schelhammerus memorabilem vidit in pellione quodam Tumorem schirrosum ab œdemate natum afficientem musculos scapulæ, pectoris, brachii, manus. Imperfecti Schirri naturâ gaudebat, nullis cessi remediis, immanibusque doloribus excruciatùm ægrotantem de medio sustulit... Materies schirrosa facta tunc fuerat cancrosa.

Vide apud Fabric. Hildanum centur. 4. observ. 73. ex Schirro sub axillâ, brachii Tumorem œdematosum enatum.

nium

nium complicationum ſchirroſarum pejor eſt cancroſa.

8°. Frequenter in mammis fiunt Schirri quorum mutatio in cancros multùm pertimeſcenda. A tonſillis ſchirroſis angina. Schirrus muſculos aut articulationes afficiens motibus obſtat plùs vel minùs. Ab Schirris compreſſi nervorum trunci paralyſes faciunt; compreſſæ arteriæ majores anevriſmata; compreſſæ arteriæ minores inflammationes producunt, &c....

9°. Schirrus minùs feliciter terminatur in ſenibus, feliciùs in adultis; & magìs fauſtum adhùc habet exitum in infantibus qui frequentes experiuntur Tumores ſchirroſos remediis facilè cedentes imò & ſolo naturæ niſu ſæpiſſimè ſolvendos. Si atrophiâ à longo tempore pueri extenuentur quæ medicam artem eludat, atque blando abdominis tactu renitens quidpiam & durum perſentiatur in interioribus, certò pronuntiandum eſt Schirro tentari mezenterium. Hoc apertione puerulorum

conſtanter ſe fuiſſe expertum teſtatur *Schelhammerus*.

10°. Suppreſſæ alicui evacuationi periodicæ ſupervenientes Schirri non curantur radicitùs niſi reſtituto evacuationis conſuetæ effluxu.

11°. Schirri hæreditarii periculoſiores magìſque pertinaces ſunt iis quos cauſa adventitia procreavit.

12°. Schirri qui medicamentis curari non poſſunr & quorum præſentia corpus notabiliter lædit ferro exſcindi debent. Caveatis autèm nè cum exſciſo Schirro præſcindantur & quoquè nervus, vas majus ſanguineum, partes tendinoſæ.

13°. Tandèm, Schirri ſupervenientes corpori robuſto, benè conſtituto, viribus valenti feliciorem habent prognoſim quàm ſi corpus debile ſit, cacochimicum, viribus exhauſtum.

## *Schirri generica curatio.*

Purum & ſimplicem Schirrum cura-

turus annotet nùm perfectus ſit nùm imperfectus.

1°. Perfectus Schirrus, à cauſâ quâcumque productus fuerit, fruſtrà medicamentis tùm externis tùm internis impugnatur. Iis enìm non ſolùm non diſcutitur ſed nè quidèm in minimo ſui puncto commutatur. Unica in ferro exſcindente hunc auferendi ſpes eſt.

Exſcindatur igitur Schirrus perfectus, ſi nihil contraindicet. Hæc exſciſio ferro adaptato peragitur. Nè minima Tumoris exſciſi portiuncula relinqui debet; repullularet enim alter Schirrus priori malignior.

Dantur multiplices in Schirro exſcindendo contraindicationes: tales ſunt vicinia aut contiguitas nervi, vaſis majoris (*a*) tendinum (*b*): in ſubſtantiâ

---

(*a*) Mirari ſubeſt forsàn non ſemper æmulari Fabric. Hildani dexteritatem in abradendo Tumore ſubaxillari, ligatis ſupernè & infernè magnis vaſis. Caſus tamen æquè periclitantes proſperè terminatos offert noſtra Chirurgia.

(*b*) Vidi Schirrum parti inferiori muſculi deltoï-

partium jactæ profundiores Schirri radices: nobilitas partium quibus Schirri insident & quarum destructio pejora faceret quàm est incommodum præsentis Schirri: adhæsio illius magna partibus duris: mala corporis constitutio aut ejus debilitas: ætas provectior aut infantilis: & quandòque generalis inemendabilis humorum depravatio.

More in tractandis vulneribus consueto persanatur relictum ab ablato Schirro vulnus.

2°. In medelâ Schirri imperfecti puri & simplicis locum obtinent medicamenta & interna & externa. Hæc ultima sufficiunt ad Schirrum imperfectum ab externâ causâ pronatum: utraque expetuntur pro Schirro ab interno vitio.

Resolutio Schirri imperfecti (quæ in

---

dis positum & notabiliter extrâ prominentem. Excisus fuit Tumor ille & incautè penetràvit incisio usquè ad fortem & robustum tendinem communem deltoïdis: undè dolores atroces, & motus convulsivi qui persistere usquequò semi-excisus tendo prædictus scalpello omninò præcisus fuit.

quantùm poſſibile eſt tentari debet) expetit ſtatìm topica emollientia, deìn attenuantia, reſolventia. Iis enìm emollitæ partes duriores lymphaticæ, mox in minores moleculas redactæ, naturali circuitui reſtituuntur. Et ſi in lymphâ coacervatâ prædominet acrimonia minùs energica adhibeantur topica attenuantia cum diluentibus ſociata.

Porrò dùm exiſtit generalis humorum prava diatheſis, non ſolis topicis utendum; opus enim eſt internis remediis ut proſperè ſuccedat Schirri reſolutio, ſemelque curatus non reviviſcat Tumor. Itàque poſt emendata primarum viarum vitia, utendum eſt ſed ſummâ cum cautelâ aperientibus, diureticis calidis imò & hydroticis, ſi abundans in corpore ſerum diſſipandum ſit. Aſt ſi humorum exiſtat acrimonia & metus ſit futuri carcinomatis, diluentia, lenientia, edulcorantia imprimis ſpectant. Lacticinia hìc multùm proficua ſunt.

Accidit autèm aliquoties ut in ſpe ſuâ deluſus Medicus Schirros in ſuppu-

ratum abire advertat quorum rosolutionem moliebatur. Quibus in circumſtantiis lapide cauſtico aut ferro aperiendus eſt Tumor, methodicèque tractandum ulcus.

In genere Schirrus imperfectus & topicis & medicamentis internis reſiſtens obſtinatè, ferro abſcindendus eſt, nì una aut multiplex exiſtat ex prædictis contraindicationibus.

3°. Schirrorum viru quopiam inquinatorum curationem deducere convenit ex peculiari therapeïâ luis venereæ ſi Schirrus ſit ſyphiliticus, ſcrophularum ſi ſit ſtrumoſus, cancri ſi cancroſus ſit Schirrus, ſcorbuti ſi indolem ſcorbuticam redoleat.

4°. Demùm advertatur ſedulo, 1°. Nullum eſſe forsàn inter Tumores humorales qui tantam, quantam Schirrus à parte Medici remedia præſcribentis attentionem expoſtulet. Ex levi enim errore omnia in pejus ruunt. 2°. Quò tenuior eſt textura partium quas Schirri occupant eò mitiora topica ap-

plicanda esse. 3°. Satius esse Schirrum imperfectum abire in Schirrum perfectum quam si motu intempestivo moveatur materies quæ in cancrosam toties abit. Sibimet igitur committatur Schirrus in quo nulla affulget resolutionis spes. 4°. In tractatione cujuslibet Schirri à mitioribus remediis incipiendum esse, mox procedendum ad fortiora. 5°. Lentam esse ut plurimùm curationem Schirri cujus concreta materies difficillimè discutitur, & cujus suppurantis maximè tardigradi sunt progressus. 6°. In excisione Schirri non satis umquàm attendere posse Chirurgum nè lædantur partes quarum integritas vitæ aut functionibus essentialibus est necessaria. Undè eruitur quàm absolutè momentosa sit apud operantem Chirurgum etiàm exactissimæ anatomiæ scientia.

# SECTIO TERTIA.

## *Includens brevem historiam plurium Tumorum, qui vulgò cognoscuntur nomine parvulorum Tumorum humoralium.*

HACTENÙS enarrata fuêre quæ ſpectant ad quatuor primarios Tumores humorales : nunc devenien-dum ad alios numeroſosque Tumores quorum deſcriptio non adeò exacta & abſoluta reperitur tùm apud Antiquos tùm apud Neotericos, quìn plurima in eâ deſiderentur.

Magnam

Magnam in aſſignandis hiſce Tumoribus lucem affundit D. *de Sauvages*, *Profeſſor Monſpelienſis*, in doctâ ſuâ Pathologiâ methodicâ. Ibì enìm non ſolùm à phymatis exactè diſtinguuntur maculæ, efflorefcentiæ, cyſtides; ſed & cujuſcumque generis Tumorum ſpecies diverſæ luculentiſſimè annotantur.

## *De Furunculo.*

*Furunculus* à Græcis *Dothien* dictus; ab Arabibus *Clavus* vel *Spina*; à Celſo *Tuberculum* acutum cum inflammatione & dolore; gallicè, *Froncle*, *Clou*, eſt *Tumor inflammatorius globoſus, valdè durus, acutè dolens, atro-ruber, ovi columbini molem ut plurimùm non excedens, ſpontè ſuppurans.*

Sedet Furunculus in cute, aut in partibus immediatè ſuppoſitis; nominatìm verò in glandulis miliaribus cutaneis, vel in ſebaceis Morgagni, vel in criptis Boërhaavianis, vel in membranis cellularum adipoſarum faciei

interiori cutis contiguarum.

Oritur à causâ inflammatoriâ sic afficiente has glandulas ut exurgant in Tumorem extrà prominentem signisque prædictis insignitum.

Statum inflammatorium Furunculi necessariò præcedit obstructio sanguinea glandularum quæ Tumoris illius sedes sunt. Cui obstructioni datur occasio 1°. Ex congestâ copiosiori & inspissatâ materiâ transpiratoriâ, sudorificâ, sebaceâ, adiposâ, in glandulis & cellulis prædictis: undè nimia expansio membranarum glandulosarum, compressio arteriolarum circà glandulas ramificatarum, difficilis sanguinis transfluxus, ejus hærentia. 2°. Ex inspissato & abundanti sanguine arterioso ad glandulas cutaneas aut subcutaneas delato, & in angustioribus illarum vasculis hærente. 3°. Ex vi quâcumque imminuente cava horum vasculorum; aut in illis stagnationi sanguinis favente.

Remotè fit hæc obstructio glandulosa sanguinea à pluribus causis internis

proëgumenis ſolida fluidaque quæ ſedes & materia Furunculi futura ſunt à longè prædiſponentibus; aut à quibuſdam cauſis externis ſuperficiem corporis afficientibus, utì ab acri frigore, &c.

Quâ poſitâ obſtructione (*a*), ſi ſimùl vigeant vires circulatoriæ ſanguinem pellentes ad locum obſtructum, ſtatus verè inflammatorius procreatur

---

(*a*) Probè diſtinguatur glandulosâ hæc obſtructio ſanguinea ab obſtructione glandulosâ ſimplici quæ deſcripta fuit in *ſecundâ Sectione*.

Et quidèm conſtat 1°. Obſtructionem glanduloſam ſimplicem eſſentialiter conſiſtere in præpeditâ excretione materierum quæ in cavo folliculorum glanduloſorum copioſiùs coacervantur. 2°. Obſtructionem glanduloſam ſanguineam, de quâ hîc, peccare labe inflammatoriâ vaſorum repentium ſuprà membranas eorumdem folliculorum aut glandularum.

Attamen fatendum raro,ſi umquàm evenire obſtructionem glanduloſam ſanguineam Furunculi quìn præceſſerit infarctus cavi folliculoſi à materiâ ſecretoriâ congeſtâ; ità ut ſtrictè loquendo, ex duplici obſtructionis genere conſtet Furunculus, nempè obſtructione cavi folliculorum, & obſtructione arteriarum ſanguinearum ſuprà folliculos glanduloſos ramificatarum.

è quo fluunt morbosa Furunculi phœnomena.

1°. Moles naturali major sanguinis arteriosi in vasis glandularum prædictarum ea distendit & tumefacit. 2°. Cùm suprà glandulas vel folliculos subcutaneos vasa arteriosa ramificentur in orbem, eodemque modo distensæ expandantur membranæ folliculorum; ideò furunculus in formam globi attollitur. 3°. Quia materia Furunculi multùm ad exteriora tendit, atque distractæ membranæ Furunculi globosi debilitantur; eâ duplici ratione in acumen sæpè desinit Furunculus. 4°. Durus est ille Tumor ab spissâ & tenaci materiâ obstruente folliculorum cava; & ab spisso vasorum inflammatorum sanguine. 5°. A validè distractis membranis glandularum per infarctum & per motum inflammatorium convelluntur tenuissima filamenta nervea penicillatìm ad mammillares papillas nerveas cutis tendentia; distrahuntur fibrillæ copiosissimæ vasis sanguiferis in-

flammatis interſperſæ ; undè dolor qui eò aucutior, quò ſenſu exquiſitiori donantur diſtractæ membranulæ & quò potentior cauſa dolorifica. 6°. Tenacitas & inſpiſſitudo ſanguinis furunculoſi atro-rubrum colorem Tumori communicant. 7°. Cùm obſtructæ arteriolæ quæ ſuprà glandulas indicatas diſperguntur determinatos neque multùm propagatos habeant limites, eo pacto minùs phlegmone extenditur Furunculus qui raro admodùm ovi columbini magnitudinem ſuperat. 8°. Et cùm debiliora latera arteriolarum obſtructarum ab ſpiſſo ſanguine & ſuperabundante diſtendantur plurimùm, ruptio fit quorumdam ex illis vaſis cui ſuccedit Furnunculi ſpontaneum opus ſuppuratorium, quòd eſt ſummoperè dolorificum.

Raro evenit Furunculum ſolitarium erumpere ; ſed plures ſimùl, aut in eâdem, aut in diverſis corporis partibus apparent. Uno curato, alter naſcitur. Et hæc obſtinata Furunculorum repul-

lulatio aliquandò viget per tempus longissimum.

Post variolas frequenter erumpunt Furunculi deuteropathici. Alii febres acutas, malignas, aliosque morbos comitantur sub nomine Furunculorum sympathicorum. Annotari & quoquè debent Furunculi epidemici & endemici : critici & symptomatici.

Modò Furunculus solam cutem occupat & extrà prominet cum acumine : modò serpit profundiùs nequè externè acuminatus apparet. Primus benignus dicitur, alter malignus : ille faciliùs, iste difficiliùs suppuratur.

Nihil omninò metuendum est à benigno & miti Furunculo qui per se sanatur. Boni sunt ominis Furunculi per corpus dispersi & suppurantes in morbis acutis cum ægrotantis levamine : mali ominis è contrà si ingravescant symptomata morbi post factam Furunculorum eruptionem. Melius est Furunculos extrò quàm intrò pelli. Dolor immaniter sæviens in Furunculis quibusdam ac-

cerſit vigilias, & febrem acutiſſimam quæ ſi ſuperveniat cum pravo primarum viarum apparatu, aut cum malâ diſpoſitione ſanguinis, timendum eſt nè morbus gravis excitetur, ut febris putrida, maligna.

Tardiùs ad maturitatem deveniens Furunculus benignus, qui plerùmque tamen spontè ſanatur, ſuppurantia topica expetit. Citò quidèm promovenda ſuppuratio in Furunculo maligno. Ferro, ſi neceſſe ſit, ſufficiens fiat inciſio quâ facilè effluat pus. Sæviens dolor compeſcatur narcoticis. Generalia non omittantur inflammationis auxilia, nominatìm venæ ſectiones.

## *De Varis.*

*Vari*, ſunt parvuli Furunculi, aut tubercula Furunculis ſimillima, parva, dura, prurientia; nùnc indolentia, nunc cum levi dolore; ut plurimùm rubra, deìn in acumine albeſcentia: naſcuntur in facie, aut in viciniis.

Varorum ſedes ſunt glandulæ ſebaceæ Morgagni quarum cavitas in ſtatu ſano unctuoſum & ſpiſſum humorem continet, concretioni maximè pronum. Multò minor eſt inflammatio in Varis quàm in Furunculis propriè dictis, ſed magna eſt contentæ in folliculis Varorum materiei ſpiſſitudo.

Juvenibus & ætatis robore fruentibus frequentiores ſunt Vari. Ab expertiſſimo in arte viro relatum mihi fuit ſe obſervaſſe morbis inflammatoriis internis multùm obnoxia eſſe illa juvenilia corpora quæ Varis infeſtantur. Verùm eadem corpora, ſemèl prætermiſſis juvenilis ætatis tumultu & æſtu, ad ætatem provectiſſimam ut plurimùm devenire. Multùm prædicatur lac virginale ad præcavendam faciem à Varis.

## *De Terminthо.*

*Terminthus* eſt Furunculus atro-vireſcens tibiarum *Franc. de Sauvages Pathologia methodica edit. ann.* 1752.

Definitur

Definitur tuberculum inflammatorium atro-viridis coloris cujus ſummitati incumbit puſtula nigra quæ exſiccata deſquammatur, & ſub quâ materies quædam purulenta latitat. Materies Terminthi eſt paucus ſanguis inflammatorius multâ permixtus lymphâ ſpiſſâ acri, & veluti, atræ-biliosæ indolis.

Tibiæ potiſſimùm infeſtantur Termintho. Frequens eſt hæc tuberculi ſpecies apud eos quorum tibiæ prætumidæ ſunt lymphâ acri & ſpiſſâ difficulter per vaſa propria circulante. Spontè ſuppurat Terminthus.

## *De Epinyctidibus.*

Materies Epinyctidum eadem eſt propè modum quæ terminthi. *Epinyctides* ſunt peſſimæ puſtulæ coloris albi ſuprà cutem, rubri verò infrà cutem; circà quas ſatis vehemens eſt inflammatio. Puſtulæ illæ dolorem habent noctu præſertìm ſævientem; noctu &

etiàm numero crescunt Epinyctides: insomnia faciunt.

Epinyctis suppurans saniem sanguineam fundit. A frigore suscepto intròpulsam materiem Epinyctidum mortem accercisse ferè subitaneam constat observatis.

## *De Phygethlo.*

*Phygethlon* apud Græcos, & *Panus* apud Latinos unum & idem sonant.

Phygethli notæ sunt *Tuberculum inflammatorium externum, rarò suppurans, stipatum calore deurente & dolore mordaci.*

Non secùs ac furunculus glandulas cutaneas inflammatoriè aggreditur Phygethlon eo cùm discrimine, 1°. Quòd minores glandulæ inflammentur in Phygethlo, majores in furunculo (*a*).

---

(*a*) Diversam esse molem glandularum cutanearum docet anatome. Vide quæ de iis scripserunt Malpighius, Morgagnius, atque Boërhavius in epistol. anatomic. ad Ruysch.

2°. Quòd sanguis furunculosus spissus admodùm sit & tenax: sanguis verò phygethlicus dilutior & acer existat in vasis glandularum cutanearum: primus sanguinis phlegmonodei, alter erysipelatosi naturam redolet.

Duplex est in eâdem glandulâ obstructio Phygethlum efformans. Primò enìm obstruitur glandulosi folliculi cavum ab inspissato & acri humore secretorio: secundò hæret sanguis acer in vasis sanguiferis arteriosis suprà folliculum repentibus. Ab statu inflammatorio Phygethli & ab acrimoniâ materiei coërcitæ eruuntur omnia Phygethli morbifica phœnomena.

More Tumorum erysipelatosorum rarò suppurat Phygethlon ob facilem resolutionem mobilioris ipsius sanguinis. Verùm sæpè curatâ inflammatione Phygethli, remanet fex dura in cavo folliculi, undè superstes tuberculum durum & veluti schirrosum.

Quod corporibus de cætero sanis accidit Phygethlon omni vacat periculo,

ſecùs ominandum de Phygethlis malignis & peſtilentibus.

Utì parvula inflammatio (quæ eſſentialiter eryſipelatoſa in induratum facilè abit ob ſpiſſum humorem folliculi cavo contentum.) Tractandum eſt Phygethlon; & ex iis indicationibus eruenda curatio.

## *De Phymate.*

Quæ phygethli eadem eſt *Phymatis* ſedes. Minor eſt calor, rubor, ac dolor in iſto quàm in altero. Spontè naſcitur Phyma abſquè cauſâ evidenti; citò ſuppurat; non tantam acquirit molem ac Phygethlon. Sanguis Phymatis ad indolem ſanguinis phlegmonodei accedit. Sola natura abſquè artis adminiculo, & abſquè incendio Phymata curat per ſuppurationem: juvanda tamen aliquandò natura in hoc opere.

Quid per Phymata intellexerit Hippocrates Vide in coacis & alibì. De Phymatis venereis conſulatur *Aſtrucius de Morbis venereis, tom. 1. pag. 264. & ſeq.*

## *De Carbunculo aut Anthrace.*

*Carbunculum* & *Anthracem* alii conjungunt, alii ſeparant. Nos utrumque ſpectamus tamquàm unam & eamdem Tumoris ſpeciem intenſitate ſymptomatum tantùmmodò diſcrepantem.

Modò ſimplicem, modò peſtilentem Carbunculum eſſe volunt. Rectiùs quadruplex aſſignari debet ſpecies Carbunculi. Prima *Carbunculi ſimplicis, benigni*: ſecunda *Carbunculi maligni ſeù Anthracis vulgaris*: tertia *Carbunculi ſeù Anthracis peſtilentialis*: quarta *Anthracis epidemici non peſtilentialis.*

1°. Carbunculi ſimplicis & benigni notæ ſunt parva Tumoris elevatio, ità ut quandòque vix extùs appareat, illius durities, color atro-ruber, dolor acer, calor deurens, in Tumoris acumine veſicula livida ſub quâ latet gangræna, inflammatio circùmambiens & partium vicinarum intumeſcentia.

2°. Noſcitur Carbunculus malignus ſeù

anthrax vulgaris per summam duritiem, colorem magìs nigricantem aut lividum, dolorem magìs acerbum, calorem vividiorem, unam aut plures vesiculas lividas aut nigras sub quibus sphacelus est, aliquandò loco vesicularum centrum nigrum aut cineritium durissimum, ambientis circuli fervidiorem inflammationem & notabilem tumefactionem partium circumjacentium.

3°. Tertia species Carbunculorum seù Anthracum viget in illâ acutissimâ, malignâ, & ut plurimùm epidemicâ febre quæ pestis dicitur. Signa Carbunculorum pestilentialium sunt illorum eruptio in constitutione pestilentiali aut præsente, aut quæ à pauco tempore grassabatur; major sævities symptomatum quàm in Carbunculis non pestilentibus, cum aliis signis febri pestilentiali seù pesti propriis.

4°. Si Carbunculi seù Anthraces vulgaribus similes à loco in locum grassentur pluresque simùl homines afficiant,

quin tamèn ſecum habeant characterem febris peſtilentialis, tùnc conſtituuntur quartæ ſpeciei Carbunculi, nempè Anthraces epidemici non peſtilentiales: tales ſunt Carbunculi quos à regione in regionem graſſari vidimus afficientes tùm bruta, tùm homines; aliquandò homines non bruta & vice verſâ.

Exteriores Carbunculi & Anthraces infeſtant cutem & adipem ſuppoſitam. Si ſerpant profundiùs, plures alias partes exedunt. Prædicta tegumenta gangræna tenet in Carbunculo ſimplici; facto Anthrace ſuccedit ſphacelus.

In omni Carbunculo confirmato duæ partes diſtinguendæ ſunt, nempè centrum & circumferentia Carbunculi. Centrum vel eſt gangrænoſum vel ſphacelatum: circumferentia magìs aut minùs eſt inflammata.

Carbunculi materies inflammatoria dijudicata per ſævitiem ſymptomatum illius Tumoris, jure meritò cenſetur acris & ferocis indolis ad partis morti-

ficationem tendentis per quamdam ſpeciem uſtionis inflammatoriæ. Contentus in veſiculis Carbunculo ſuperpoſitis liquor ſanioſus ; eſcharra in Anthrace brevi & ſpontè efformata ; ſubter ablatam eſcharram obſervata materies corrupta ; ſordities & ſiccitas in Carbunculi ulcere : ex iis omnibus patent eſſentia & vis materiei Carbunculum & Anthracem efformantis.

Quænam verò ſit natura virûs quod inquinat materiem inflammatoriam Anthracum peſtilentium ? Cum *Sydenhamo* reſpondemus, *nos illud, pariter ac complura alia, circà quæ vecors & arrogans philoſophantium turba nugatur planè ignorare*. Id tantùm ſcimus naturam per apoſtemata diverſa moliri expulſionem materiei peſtilentis è corpore.

Carbunculus oritur in membranâ adiposâ & in cute per validam inflammationem multùm dolentem quæ in gangrænam citò abit. Sanguis inflammatorius Carbunculi acer admodùm & ſpiſſus validiſſimè commotus in pro-

prii

priis vaſis obſtructis ſæviens in lymphaticis quorum oſcula ſubiit, ſubitò diſrumpit vaſculoſos parietes, effunditur in interſtitiis fibrarum, in textu cellulari, in cellulis adipoſis; ibì putreſcit brevi eòque faciliùs quò pejor in ipſo erat ad corruptionem diſpoſitio: fit miſcela ſanguinis putreſcentis, oleoſæ materiei adipoſæ, ſebacei liquidi, humoris tranſpiratorii & ſudorifici; undè major in parte corruptio. Sanies in veſiculis colligitur ſub epidermide. Interìm validiſſimâ inflammatione Carbunculum circumambiente atquè ſummo hîc vigente calore difflantur humida, cutis abit in ſiccam, duram eſcharam. Tùm niſi naturæ beneficio, aut artis ope mortuum ſeparetur à vivo per intermediam ſuppurationem aut per aliud quodcumque auxilium, corrumpentur vicinæ partes, ſerpens mortificatio ad latera propagabitur atquè deſtruet textum membranarum, muſculorum aliarumque partium mollium ſub tegumentis poſitarum.

Undè patet Carbunculum ſimplicem in Anthracem poſſe mutari, auctâ morbi ſævitie; Anthracem in Carbunculum neutiquàm. Nèque difficilè erit ex Carbunculi & Anthracis ſtatu inflammatorio, gangrænoſo, ſphacelato, eſſentialia illorum ſymptomata deducere, imò & accidentalia, utì febrem, &c.

Etiàmſi multò mitiora ſint in Carbunculo benigno quàm in Anthracibus ſymptomata, attamen ſatìs impropriè benignus nuncupatur cùm ferox ſemper ſit illius materia & in Anthracem facilè mutetur. Cauſæ inflammationis validiſſimæ producent & quoquè Carbunculos, ſuppoſitâ tamen diſpoſitione peculiarì tùm in ſolidis, tùm in fluidis non facilè præcisè determinandâ. Non raró Anthraces etiam producit comeſtio carnium ex animalibus affectis Carbunculo. Menſe Novembris ann. 1752, ingreſſus eſt Noſocomium Monſpelienſe Miles annos circitèr triginta natus, qui decem Carbunculos, quorum novem minimi decimus mag-

nus erat, in naſo aut ſuprà naſum geſtabat. Illorum carbunculorum cauſa fuerat comeſtio carnis vervecinæ Carbunculis infeſtatæ..... Inter noſtros ruſticos frequentiſſimi ſunt Carbunculi proptereà quòd paſtores comedunt agnos Carbunculis enecatos. Quod non raro ipſemet obſervavi.

Dixerunt jamdudùm Occitanis familiares eſſe Carbunculos : & reipſâ nùnc videmus in plerisque vicis Monſpelio vicinis endemicè graſſari Carbunculos & Anthraces æſtivâ potiſſimùm (a) tempeſtate. Febris maligna ſæpiſſimè ſibi adjunctos habet Anthraces ſympathicos.

---

(a) Nonnè ob comeſtionem carnis ovium quæ in Occitaniâ frequenter Carbunculis laborant, ut ſuprà dictum eſt ? Nonnè ex eo quòd per ſummos calores qui vigent in Occitaniâ atque per labores duros quibus Ruſtici indulgent ; ſanguis eorum multùm depauperatur parte ſuâ aqueâ, exaltantur ſales & olea, inſpiſſans acrimonia gignitur ; uno verbo præparatur in humoribus materies inflammatoria, quæ ſi à cauſâ procatharticâ certo modo in motum agatur facit Carbunculos. Horum productioni remotè etiàm concurrit pravus Ruſticorum victus.

Carbunculi peſtilentiales indiſcriminatìm modò ex hâc, modò ex illâ parte ſuperficiei corporis peſtiferi erumpunt; ſæpè orti à puſtulâ grano milii non majori mox creſcunt, dolent intenſiſſimè aliaque præ ſe ferunt ſigna Anthracum peſtilentium.

Quamvis ex annotatis ſignis characteriſticis Carbunculorum peſtilentialium, ii Tumores exactè deſignentur; cavendum tamen eſſe ab errore in diagnoſi edocet nos, inter cætera, peſtis quæ Monſpelii graſſata eſt annis 1629 & 1630. Carbunculi qui eâ in peſte apparebant ſtipati erant ſignis diverſis omninò ab iis quæ Carbunculis peſtiferis ſunt communia (*a*).

Singularem Carbunculi endemici ſpeciem in urbe Rochacurvâ obſervari dicunt (*b*). Hoc Carbunculo ſuffocatur

(*a*) Riverii obſerv. communicatæ à D. Pomaret, Chirurg. Monſpeſſ. obſerv. 5.

(*b*) De la Médecine éfficace, tom. 4. pag. 76.

patiens nisi novem noctes consecutivas insomnes transigat. Quâ de causâ, dùm ex unâ parte Medicus & Chirurgus artis auxilia adhibent, amici & parentes convocati saltant & choræas ducunt coràm ægrotante ut eum à somno avertant.

Anthraces epidemici talem determinatè, ut plurimùm, afficiunt corporis partem, utì fauces aliumvè quemcumque locum, nequè alibì quærenda est ipsorum ortûs ratio quàm in constitutione epidemicâ quæ nùnc anginas, nùnc pleuritides, nùnc varia exanthemata producit.

Inter epidemicos Anthraces annotari meretur Anthrax phagædenicus indicatus *à D. de Sauvages in Pathologiâ methodicâ.* Anthrax ille carnes ad ossa usquè exedebat.

Inter omnes Carbunculorum species maximè periculosos esse Anthraces pestiferos evidentissimum est.

Carbunculi epidemici non pestilentes majus aut minus secum important periculum pro diversitate causæ gene-

ralis à quâ producuntur, pro diversis partibus quas tenent, pro temperie corporum quæ labem epidemicam suscepêre.

Mitior est Carbunculus simplex Anthrace. Anthracum vulgarium non semper eadem est sævities cujus varietates ex prædictis eruere non arduum.

Quò major est acrimonia, spissitudo, maligna qualitas materiei Anthraces aut Carbunculos producentis, eò pejus ominandum & vice versâ.

Quò exquisitioris sunt sensûs partes Anthracibus infestatæ, eò major dolor, sæviora symptomata, majus periculum.

Summoperè metuendi sunt Carbunculi qui habent contigua quædam majora vasa aut partes vitæ utiles. Metuendi & quoquè sunt qui imis faucibus supernascuntur, ægros enim sæpè jugulant. Angulis labiorum non rarò advenientes Carbunculi etiamsi curati fuerint, sæpè post se relinquunt oris intorsionem.

Melius eſt extrà prominere Carbunculos quàm intrà partium textum ſepeliri. Exitiale dùm ab exterioribus ad interiora ſubitò transferuntur per metaſtaſim.

Minùs metuendum eſt à Carbunculis febri malignæ ſupervenientibus, quàm à febre malignâ eruptioni Carbunculorum ſuperveniente. In primo caſu natura conatur expellere materiem morbificam : in altero indicia ſunt ſummi & indeſtructibilis vitii quo natura obruitur.

Carbunculos ſenilioribus corporibus ſupervenientes, citiùs ociùs peſſimos eſſe probat obſervatio.

Si eſcharoticorum ope mortuum ſeparetur à vivo ſuppuratioque intermedia inſtituatur bonum eſt : malum è contrà ſi carnes ſiccæ remaneant, nullumque ſit ſuppurationis indicium.

In genere Carbunculorum & Anthracum cauſæ, ſymptomata, extenſio, profunditas, locus affectus, temperies corporis, anni tempus, diverſa re-

gio, mali progreſſus lucem afferunt in præſagiendis eventibus.

In omni Carbunculo confirmato vel eſt gangræna vel ſphacelus; ergò mors partis aut incipiens aut integra. Undè ſtatìm ſeſe offert neceſſitas promptæ medelæ.

Tutiſſima Carbunculis ferenda auxilia, ſunt ferrum, ignis, cauſtica.

Si ſimplex ſit & benignus Carbunculus ſufficiunt ſcarificationes, & ſuppurativa quæ generationem puris promovendo mortuum à vivo ſeparare faciant; demùm deterſiva ulcus exigit. Pro circumſtantiis magìs aut minùs profundæ fiunt ſcarificationes.

Ut plurimùm ſtatìm adurere eſcharoticis convenit Anthracem uſquè ad carnes vivas. Mox juvanda eſcharæ ſeparatio mixtione ſtiracis & baſilici aut ſimilibus. Ulcus, more ſolito in aduſtis, detergendum.

Sunt caſus ubì cùm promptiùs agendum ſit, cauterio actuali ſeù igne aduritur Anthrax. Aliquandò etiàm ſcalpel-

lo

lo radicitùs aufertur Carbunculus.

Quænam futura ſit diæta indicat ſævities ſymptomatum. Promovenda diaphoreſis quæ optima contrà materiem foventem Carbunculos. Neceſſitate exigente, emeticis & catharticis evacuandæ primæ viæ.

Quid agendum ſit pro ſanandis Carbunculis peſtiferis non eſt iſtius loci explanare.

## *De Paronychiâ ſeu Panaritio.*

Ridiculus ſanè fuit quorumdam Antiquorum conceptus de Paronychiâ. Paracelſus rodentem vermem collocabat in parte cui inſidet ille Tumor (*a*): propriis oculis vermem hunc ſe vidiſſe aſſerebat Joannes Agricola Medicus chimicus (*b*): hiſtoria vermis in Paro-

---

(*a*) Paracelſus, lib. de ulceribus, cap. 17.
(*b*) Agricolæ Chirurgia.

nychiâ latitantis multùm fuit adornata apud Germanos : ſed hæc aut ſimilia antiquioris vulgi ſunt fabulæ.

*Paronychia* Græcis, *Reduviæ*, *Panaritium* Latinis, Foreſto aliisque *Apoſtema calidum in ſummitate digiti*, gallicè *Panaris*, unum & idem ſonant.

Eſt Tumor inflammatorius circà extrema cujuſvis digiti cum calore deurenti, dolore atroci, aliisque ſymptomatis magìs aut minùs gravibus.

Sedulò adverti debent diverſitas & textura partium digitos componentium, cùm exindè fluant varia Panaritiorum genera. Deſumptis nominibus à loco ubì adeſt morbi fomes, & à ſignis Panaritii cujuſcumque characteriſticis ſequenti modo determinari poſſe diverſa Panaritia autumamus.

1°. *Panaritium externum mutabile & fugax.* Hujus character diſtinctivus eſt tranſitus facilis & frequens illius Panaritii ex uno digito in alium ejuſdem aut alterius manûs. Hæc ſpecies vernaculo idiomate Monſpeliaco dicitur

*lou Roudaire.* Occupat cutem extremarum phalangium & propagatur uſquè ad adipem ſuppoſitam, ſed non profundè. Omnium Panaritiorum iſtud mitius eſt; inflammantur enìm ſolummodò cutis & ſuperficies adipis, illæſis remanentibus partibus membranaceis & tendinoſis: Hìnc non tàm deurens calor, non ingens adeò dolor ac in aliis Panaritiis. Per effuſionem ſeri acris cutem inter & epidermidem efformatur veſicula magìs aut minùs extenſa in extremitate digiti.

Oritur ut plurimùm hoc Panaritium à cauſis internis quæ modò hunc modò illùm digitum aggredientes præcipuum ſymptoma Panaritii fugacis conſtituunt, nempè mutabilitatem.

Si inflammatio ſerpat ſub ungues, aut adipem penetrando intimiùs, ad tendinea loca perveniat, tùnc ea prima ſpecies in alias graviores mutatur. Fraudulosa eſt Panaritii fugacis therapeïa; uno enìm ibì curato, alter alibì renaſcitur.

2°. *Panaritium externum fixum* cum descripto summam habet similitudinem easdem partes tenet,eodem laborat inflammationis gradu ; sed non transit à digito in alterum digitum ut fugax Vesicula externi Panaritii fixi exactè circumambit unguem usquè ad radicem ubì non rarò excitatur multùm dolorifica suppuratio.

Secunda hæc species Panaritii vulgò dicitur *la Tourgnole*. Oritur tùm à causis internis ut fugax , tùm ab accidentibus externis , ut ab ictu , contusione punctûra.

3°. Cùm constet sæpè inflammar cutem ungui suppositam , exindè erui tur genus *Panaritii subungualis*. Id si à propriâ causâ sub ungue natum per se existat , idiopathicum est. Aliquandò procreatur ab aliis Panaritiis, præser tìm verò à duabus primariis speciebus Panaritium subunguale sæpè pro causâ habet acum , spinam , aut festucam qua defixæ fuerunt intrà carnes & unguem ictum quo contunditur cutis ungui sup

poſita ; quamlibet preſſionem violentam quâ intercipitur aut retardatur ſanguinis motus in prædictâ cutis portione. In iſtâ Panaritii ſpecie moleſtiſſima excitatur inflammatio quam ſuppuratio ſequitur. Viribus inflammatoriis & ſuppuratoriis radix unguis violenter ſeparatur à plicaturâ ſemilunari cutaneâ intrà quam firmiter retinebatur : productiones mammillares quæ à cute obliquè enaſcentes implantabantur (a) intrà ipſamet unguis ſubſtantiam, ab eâ eradicantur per remotionem unguis à cute. Ex atroci dolore Panaritii ſubungualis fiunt vigiliæ pertinaces, febris vehemens aliaque gravia ſymptomata.

---

(a) Ut concipiatur quantus debeat eſſe doloris gradus in Panaritio ſubunguali, dùm unguis à cute ſeparatur, ſufficit noſſe intima unionem unguis cum cute mediantibus prædictis papillis cutaneis. Tanta eſt hæc unio, ut Ruyſchius exiſtimaverit ungues non oriri ab iiſdem papillis. Ruyſch. tom. 3. theſaur. 3. pag. 16. & ſeq.

4°. *Panaritium adiposum* est vera phlegmone adipis coacervatæ suprà phalanges eâ in facie quæ respondet tendinibus flexoribus. Hæc inflammatio non solùm tenacissima est more inflammationum adiposarum, sed multò gravior. Exquisitus enìm est sensus cutis adipem digitorum cooperientis & latent sub hâc adipe sensilissimæ partes membranaceæ & tendinosæ.

Signa distinctiva Panaritii adiposi sunt Tumor digiti magìs elatus quàm in aliis Panaritiis; cuncta symptomata phlegmones; stupor in manu. Febris sequitur inflammationis intensitatem & doloris acutiem.

Tùm ab accidentibus externis, tùm à causis internis inflammatoriis oritur hoc Panaritii genus.

Sæpè multùm extenditur ejus inflammatio quæ per adipis continuitatem transit ab extremitate digiti ad basim: exindè brevi inflammatur adeps faciei internæ matacarpii: & aliquandò eò

usquè procedit malum ut in monstrosam crassitiem crescere manus visa sit.

Nisi Panaritio adiposo brevi succurratur, aut si vires morbificæ arti superiores sint, serpit purulenta materies hùc & illùc in palmâ manûs: efformantur sinus & fistulæ curatu difficiles.

5°. Pessimum est *Panaritium vaginale* seù quod sedem habet in vaginis tendinum digitos flectentium.

Si Panaritium istud hæreat in pollice, locus affectus erit vagina ligamentosa includens tendinem musculi longi flexoris pollicis, protensa unà cum tendine incluso à ligamento annulari peculiari usquè ad faciem cavam tertiæ phalangis pollicis propè basim, ubì & tendo & vagina terminantur.

Si quivis aliorum digitorum hâc Panaritii specie laboret, morbi fomes erit vel in vaginâ unius ex quatuor tendinibus musculi perforantis seù profundi; qui tendines transmissi per mag-

num ligamentum annulare carpi, diſtincti & quilibet peculiari vaginâ muniti tendunt ad facies internas tertiarum phalangium ubì implantantur propè baſim: vel morbi fomes latitabit in vaginâ unius ex quatuor tendinibus muſculi perforati ſeù ſublimis, quorum tendinum inſertiones inferiores ſunt inſertionibus tendinum profundi, & fiunt ad faciem internam ſecundarum phalangium propè baſim.

Ergò ſunt in quâlibet manu novem diſtinctæ vaginæ tendineæ quæ quinto huic Panaritiorum generi ſubjiciuntur.

Signis ſequentibus deſignatur Panaritium vaginale. Parùm tumet digitus affectus; ſed calor adeſt immaniter deurens, dolor vix tolerabilis eſt, febris viget acutiſſima, vigiliæ ſunt pertinaces, aliquandò adſunt deliria motusque convulſivi. Non in ſolo digito morboſo perſentitur dolor, ſed extenditur ad digitos vicinos, ad manum, demùm juxtà omnem brachii longitudinem

dinem: intumescit manus etiàm magis notabiliter quàm digitus affectus. Pauco tempore multùm propagatur inflammatio à parte in partem.

Factâ suppuratione in vaginâ inflammatâ pus effunditur in ipsius cavum ubì permiscetur cum humore quo facies interna vaginæ & tendo lubricantur continuò. Abundantior hæc purulenta materies vaginam distendit, tendinem comprimit; acrior partes corrodit: per viam vaginæ patulam eadem materies transfluit à digitis ad metacarpum, ad carpum, ad brachium. Hinc nova gravioraque symptomata in omnibus illis partibus.

Tantâ quantitate coacervatur materies purulenta, saniosa, ichorosa in vaginis tendinosis, ut aliquandò per sectionem chirurgicam effusa obstupefactum reddat operatorem præ summâ ipsius abundantiâ. Nihìl ergò mirum si totiès mortem inferat istud Panaritii genus.

Sævities symptomatum Panaritii va-

ginalis, totiès ex eo adveniens morti-
ficatio non in digitis tantùm & ma-
nu ſed & in brachio, mira celeritas
quâ ſerpit malum rectè percipiuntu
ab eo qui norit 1°. Effectus validæ in-
flammationis membranaceæ & tendi
neæ. 2°. Continuitatem tendinum di
gitos flectentium ab ipſarum inſertio
ne uſquè ad muſculos è quibus ort
ſunt. 3°. Quatuor tendinum muſcul
perforantis ſeù profundi communica
tiones mutuas & cum tendinibu
muſculi ſublimis ſeù perforati. 4°. Om
nium illorum tendinum intimas unio
nes cum faſciis ligamentoſis phalan
gium & cum ligamento annulari car
pi. 5°. Contiguitatem & conſenſu
tendinum incluſorum & vaginaru
includentium. 6°. Inflammabilitate
adipis circumambientis vaginas.

Oritur Panaritium vaginale à caus
inflammatoriâ internâ, externâ aff
ciente aut vaginam aut tendinem, v
utramque partem.

Nonnè ad genus Panaritiorum v

ginalium referri poteſt inflammatio adveniens faſciis ligamentoſis (*a*) faciei internæ primarum & ſecundarum phalangium, tendines ſublimis & profundi & horum vaginas tranſmittentibus?

6°. Maximè internum Panaritii genus eſt *Panaritium oſſeo-perioſticum*, cujus materies ſub perioſteo latitat. In hoc genere non tumet externè ſenſibiliter digitus affectus, nequè rubet; ſed atrox & profundus perſentitur dolor; adſunt inſomnia aliaque ſymptomata quæ morbos maximè dolorificos comitantur.

Duplex annotandum in Panaritio oſſeo-perioſtico ſtadium, cujus in primo inflammatur expanſio membranoſa, fortis, extenſu difficilis, ſenſu exquiſitiori donata, perioſteum dicta:

(*a*) Vide Vvinſl. expoſ. anat. Traité des os frais, n°. 48. Traité des muſcles, n°. 318. & n°. 324.

in altero ſtadio acris & purulenta materies hæret inter perioſteum & os, deſtruit fibroſas emiſſiones quæ à perioſteo proficiſcentes ſubeunt poros oſſeos & in ſubſtantiam oſſeam diſperguntur. In iſto Panaritio diſtrahuntur, rumpuntur nervi vaſaque perioſtica; caries oſſi advenit, & à parte oſſeâ in alteram propagatur.

Si materies purulenta hæreat juxtà baſes ſecundarum aut tertiarum phalangium, corrodentur fibræ muſculi ſublimis tendinoſæ, quæ implantantur propè baſim ſecundarum phalangium; aut fibræ muſculi profundi terminatæ propè baſim phalangium tertiarum.

Extenſio perioſtei affecti, cauſa à quâ afficitur & natura materiei acris purulentæ ſub perioſteo latitantis futurum eventum determinant.

7°. Si inflammentur capſulæ articulares & ligamentula quibus baſes & capita phalangium uniuntur inter ſe, peculiare ponitur Panaritii genus quòd *capſulare* aut *ligamentoſum* dici meretur.

Atrocissimi sunt dolores hoc Panaritium concomitantes : impossibilis præ dolore ingenti articulatarum phalangium motus.

Suppuratione destructis his ligamentulis & capsulis, separantur ab invicem phalanges quæ post incisas carnes sponte decidunt.

8°. Præter assignata Panaritiorum genera annumerari volunt *Panaritium pedis digitorum*. » Id pollices pedum » cum doloribus atrocissimis infestat & » nihil aliud est quàm paronychia pe- » dis digitorum cui gangræna & spha- » celus & tandèm mors supervenit. Ex » eâdem causâ provenit, & eamdem » medendi methodum postulat. Tutis- » sima est digiti resectio. *Allen...... tom.* » *2. pag. 434. de Ettmulleri senten-* » *tiâ.*

Ex dictis eruendum est. *Primò.* Quòd quantâcumque sedulitate distinguantur sedes & symptomata variorum generum Panaritii; attamen hæc inter se aliquotiès posse confundi, præ-

ſertìm Panaritia vaginalia & oſſeo-pe-rioſtica. *Secundò.* Panaritium vaginale procedendo ad extremitatem digit non poſſe extendi ultrà baſim tertia phalangis, ibì enìm terminantur ten-dinum flexorum vaginæ. *Tertiò.* Pana-ritium unius generis in aliud genu poſſe degenerare, aut aliud genus ſib adjungere. *Quartò.* Si uno eodem-que tempore inflammentur omne parres digiti jàm enumeratæ, futurun *Panaritium* ex omnibus *compoſitum* ge-neribus. *Quintò.* Demùm, ratione ha-bitâ & partis affectæ, & cauſæ, & ſymptomatum rectè diſtingui Panari-tia in benigna & maligna.

Generica inflammationis multùn dolorificæ auxilia locum obtinent ir Panaritio genericè conſiderato: ſingu-latìm verò tractantur peculiaria Pana-ritia.

Expeditiſſima eſt curatio ſimplici Panaritii externi. Sublatâ forficibu parte epidermidis quæ in extremo digito efformat veſiculam, contenta

acris materies evacuatur, brevique regeneratur epidermis.

Incidendus eſt unguis ſub quo latet pus ut facilis puri effluxus paretur.

Emollientia & ſuppurativa topica conveniunt in Panaritio adipoſo quod ferro aperiendum ut evacuetur ſine morâ materies. Ulcus tractandum eſt methodicè. Difficilior tædioſaque eſt curatio, ſi ab acri pure adipoſo vaginæ tendinum corroſæ fuerint; ſi efformati ſinus aut fiſtulæ intrà diverſos muſculos manûs per expanſionem materiei purulentæ.

Ad curationem panaritii vaginalis fruſtrà adhiberentur remedia, niſi, evacuaretur purulenta materies recondita in vaginæ cavo. Itàque protinùs & abſquè ullâ remorâ incidantur profundè cutis & tunica adipoſa. Deìn aperiatur vagina tendinoſa: proſequenda illius ſectio quòuſque perventum ſit ad morbi fomitem. Parcendum, quantùm fieri poteſt, ligamento annulari carpi. Auferendæ partes demortuæ, ſi quæ ſint.

Evocatâ materiâ, ulcus probè purgandum eſt. Invitis auxiliis quibuſcumque aliquandò in mortificationem incidunt digitus, manus integra, brachium: quæ partes amputandæ.

In ultimis Panaritii generibus ad curationem integrandam feſtinandum eſt. Ideò profunda fiat inciſio ad os uſquè & ſatis ampla debet eſſe plaga ad hoc ut pateat os affectum. Si in punctis quibuſdam tantummodò deſtructum fuerit perioſteum (quod rariùs) exfoliatio oſſis juvanda & illud ſervari poteſt: ſi in totâ oſſis circumferentiâ ſuppuraverit perioſteum, caries oſſi advenit, quod auferendum. Eximi & quoquè debet phalangis, dùm capſulæ & ligamenta articulationis omninò aut quoad magnam partem periêre. Sublatis quibuſcumque partibus demortuis, vulnus tractandum juxtà artis regulas. Cavendum nè plaga obturetur priùſquam demortuæ partes omninò ejectæ fuerint. Si ſphacelatus fuerit digitus integer, hujus

hujus instituenda amputatio (*a*).

## *De Pernionibus.*

Hyemali tempore, peculiari specie Tumorum infestantur pedes & manus; imò quandòque extremitas nasi. Ille Tumor à Græcis dictus fuit *Chimetlon*, à Latinis *Pernio*, gallicè, *Mule*, *Engelure*. Oritur à partibus aëreis nitro-

---

(*a*) Lex hæc est generalis in instituendis extremitatum corporis superiorum amputationibus quòd eæ partes osseæ conserventur quæ demortuæ non sunt; sic dùm quæstio est de manu amputandâ, tantùm longitudinis ossium cubiti & radii conservatur quantùm possibile . . . . hæc regula, quæ in genere optima est, admitti non debet in iis casibus panaritiorum ubì amputandæ sunt digitorum phalanges. Etenìm experientiâ comprobatur quòd carie affectis tertiâ & secundâ phalangibus cujusdam digiti si duæ illæ phalanges auferantur primâ superstite plurima subsequuntur incommoda tùm ob facilem læsionem apicis phalangis superstitis ab impetentibus corporibus duris; tùm ob impedimenta ab illâ phalange allata in diversis manûs motibus & exercitiis. Tutiùs ergò est primam phalangem à metacarpio juxtà artis regulas separare: hâc enìm methodo citiùs peragitur curatio, nullumque imposterùm incommodum superest.

ſis (*a*), aut iis affinibus applicatis alicui ex prædictis locis corporis.

Etiamſi generaliſſima ſit hæc Pernionum cauſa, attamen indiſcriminatìm Perniones non adveniunt quibuſcumque frigus patientibus. Quædam enìm corpora invito maximè acri frigore Perniones eludunt, dùm è contrà quidam ad frigoris præludia ſtatìm iis Tumoribus afficiuntur.

Perniones frequentiùs invadunt pueros, mulieres, eaque adultorum corpora quorum textura eſt delicatula.

Undè eruitur debilem texturam extremarum partium corporis eſſe cauſam Pernionum antecedentem ſeù proëgumenam: frigus pro cauſâ procatharticâ habendum eſſe.

Ab actione partium nitroſarum aërearum in prædiſpoſitas extremas partes corporis ſequentia exurgunt phœnomena. Stringitur cutis digitorum

(*a*) Conſul. experiment. Muſchenbroëkii.

pori ejus partìm obſtipantur ; ſanguis ad interiora repellitur ; coagulantur fluida in pedum, manuum, naſi vaſis circulantia, præſertìm lympha ; minùs mobiles fiunt illi humores difficiliùsque progrediuntur per vaſa cutanea quæ à fluidorum moleculis lentè, difficilè, inæqualiter fluentibus diſtracta, & velutì concuſſa eam in fibris nerveis excitant diſtractionem cui debetur dolor, pruritûs nomine donatus : quod primum eſt naſcentium Pernionum ſymptoma : Continuatâ frigoris ſeù partium nitroſarum impreſſione in prædictas partes quæ ſunt à corde remotiſſimæ, magìs denſantur lympha & ſanguis, magìs corrugantur vaſa, determinata fit in iis obſtructio lymphatica & ſanguinea cui inflammatio ſuccedit ; intumeſcit enìm pars, calet, rubet, cum pruritu maximè ingrato, noctu præſertìm ſæviente ; imò cum dolore acri, pungente, rodente.

In errorem inducitur qui exiſtimat ab aliâ quâcumque cauſâ præter actio-

nem frigoris poſſe produci & foveri talem inflammationem quæ Perniones faciat : hæc enim inflammatio ab aliis inflammationum ſpeciebus diſtinguenda, unicè debetur energiæ nitroſarum ſeù frigoriferarum partium (*a*). Ideò vigente frigore vigent Perniones, ceſſante hyemali tempeſtate illi evaneſcunt.

Quæ primariò rubentes erant Perniones, dein liveſcunt ob immutatam fluidorum obſtruentium denſitatem per vim frigoriferam. Attendamus ad mutationes quæ fiunt in cute etiàm benè valentium à paſſo frigore : ſtatìm color cutis mutatur in pallidum lividumque ; creſcente frigore liveſcit intentiùs.

Periodicè recurrunt ut plurimùm Perniones: qui enìm hyeme præceden-

---

(*a*) Partes frigoriferas verè intromitti in textum partis Pernione affectæ, innuiſſe videtur *Sennertus* dùm aït : „ Nequè enìm qui valdè refrigerantur, nudam ſaltèm alterationem patiuntur ſed aliquid ſubſtantiale parti affectæ communicatur, &c.

i vigebant, initio ſubſequentis hyemis recrudeſcunt, & ſic per plurium annorum ſeriem. A nimio calore dolor intenditur in Pernionibus, propterea quòd quæ anteà hærentia quieſcebant fluida ſubitò à cito calore multùm in motum aguntur, unde magnæ vaſorum & conſequenter fibrarum nervearum diſtractiones. Prætereà cùm rigida ſint & corrugata vaſa partis affectæ Pernione, ea non obedient contentorum fluidorum motibus, rumpentur aut ad ruptionem accedent, dùm calore exagitabuntur humores; undè doloris augmentum. In mortificationem abire viſi ſunt Perniones nimìs excalefacti. Et quidèm conſtat, humores congelatos, ſi à calore ſubitò reſolvantur, putreſcere atque ſphacelum creare.

Plerùmque ſpontè reſolvuntur Perniones & abſquè ullo remedio curantur. Aliquandò in ſuppuratum abeunt quo in caſu ſæpè efformatur ulcus ſordidum carnes profundè exedens. Raro

evenit mortificationem Pernionibus su pervenire; nisi adsint illi Tumores in corpore pessimè disposito, aut quædam accidentia externa adveniant. Difficilior est Pernionum curatio vigentibus frigoribus quàm iisdem remittentibus. Varia prædicantur ad debellandos illos Tumores. Pernionibus resolutioni habilibus conveniunt topica resolventia, spirituosa præsertìm; exulceratis Pernionibus detergentia, exsiccantia, consolidantia: tandèm si mortificatio immineat aut præsens sit, recurrendum ad ea quæ mortificationi adversari dictum fuit alibì.

## *De Parotidibus.*

Tumores *Parotides* dicti consistunt in præternaturaliter auctâ mole glandularum parotidum, positarum ad utrumque latus inter aurem externam & portionem posteriorem maxillæ inferioris, salivale liquidum ab arterioso sanguine secernentium per minimos

canales confluentes ad ſtenonianum ductum qui perforans muſculum buccinatorem in oris cavo aperitur circà ſecundam & tertiam dentem molarem ſuperiorem.

Indiſcriminatìm non confundendus quilibet Parotidum Tumor; ſed hujus diverſa ſedulò annotari debent genera.

*Primò.* Occurrit *Parotis inflammatoria* quæ duplex, nempè vel primaria vel ſecundaria.

Rariùs, primariò generatur inflammatoria Parotis: accidit potiſſimùm in juniori ætate & mitior eſt quàm in ætate provectâ, cùm vel feliciter ſuppuret, vel reſolvatur ut plurimùm.

Secundaria Parotidùm inflammatio oritur, 1°. Ab hærentiâ ſanguinis intrà textum glandularum Parotidum in quibuſdam febribus malignis, ardentibus, aliisque. 2°. A metaſtaſi excernendorum præternaturaliter retentorum. 3°. A materiâ quorumdam affectuum ſuperficiariorum intròpulſâ &

ad Parotidas determinatâ. 4°. Ab a
tione mercurii per frictiones in corp
intromissi & certis in circumstantiis Pa
rotidas elevantis in Tumores dolente
inflammatorios. 5°. A quibusdam pe
cutionibus capitis quas subsequitur ma
jor derivatio sanguinis ad Parot
das.

In acutis morbis futuræ prævider
tur Parotides inflammatoriæ, ab i
quæ denotant sanguinis impetum fie
versùs superiora.

In febribus malignis Parotides inflam
matoriæ, præduræ.. ustionis sensum ha
bentes, & lividæ mali moris sunt. Fu
nestæ in acutis Parotides dolorificæ sup
purati expertes (*a*).

Frequens satìs & multùm funesta e
intropulsio materiei Parotidis inflam
matoriæ ad cerebrum, pulmones, aliam
que partem nobilem.

---

(*a*) Hippocrat. coac. lib. 2.

Metuendæ

Metuendæ ſunt Parotides inflamma-oriæ quæ morbi cujuſdam acuti ſunt ſuperſtites (*a*).

Tutò pronunciatur de Parotidum ebrilium eventu, contemplando nùm ngraveſcat nùm miteſcat febris è quâ Parotides promanant.

Mali Parotidum inflammatoriarum eventus aliquandò præveniuntur largâ hæmorragiâ, alvi fluxu bilioſo, urinâ copioſâ, craſſâ (*b*).

Inflammatoria Parotis tùm prima-ia tùm ſecundaria redolet ut pluri-nùm naturam phlegmones ſchirroſæ: quod ſatìs ſolemne eſt in inflammatio-ibus quæ loca glanduloſa tenent.

*Secundò, Parotis purulenta* fit aut vi-io locali dùm glandulæ illius inflam-matio abiit in ſuppuratum & efforma-

(*a*) Parotides rubræ, exacti jàm morbi ſuperſti-es, in febribus ortæ ſigna ſunt eryſipelatis in fa-ie naſcituri. Quìn etiàm ex talibus convulſiones ve-iunt cum aphoniâ. Hippocrat. coac. lib. 2.

(*b*) Vide Hippocrat. ibidem.

tus fuit abſceſſus: aut tranſlatione pu
ris à diverſis corporis partibus ad Pa
rotidas.

Deſideranda eſt puris in Parotidibu
confecti prompta evacuatio. Benè om
nandum eſt ſi evacuatum pus bonu
ſit: malè judicandum, ſi corruptum exi
tat. Noſcitur quandònam in ſuppu
ratum abiit Parotis ex ſignis notat
dùm de phlegmone ſuppuratâ.

Frequentes ſunt Parotides purulen
tæ per metaſtaſim. Locum habent
1°. In febribus lentis ſymptomaticis
quandò ſcilicèt ſanguini remixta ma
teries ulceris, fiſtulæ, abſceſſûs obſi
dentium organum quoddam, ad Pa
rotidas deponitur quas in Tumore
elevat: quandò ſimilis fit remixtio
ichoroſæ, ſanioſæ, purulentæ mate
riei carcinomatum, cariei: quandò in
quâpiam cavitate collectum pus reſor
betur oſculis vaſorum abſorbentium
permiſcetur toti ſanguini & inter cir
culandum ad Parotidas defertur &
colligitur. 2°. Fit etiàm hæc Paroti

is ſpecies à metaſtaſi puris per acu-
um morbum efformati in aliquo viſce-
: undè rapitur ad glandulas paroti-
as. 3°. A præmaturè clauſo ulcere
xterno partium à capite etiàm maxi-
iè diſſitarum, utì femorum & tibia-
im. 4°. Ab abſceſſu externo non ſa-
s citò aperto: undè ad interiora re-
uxus materiei purulentæ; atque ali-
uandò raptus versùs Parotidas, vel
er anarrhopiam vel per catarrhopiam.

Dùm poſt ſuppurationem interni cu-
ſdam viſceris aut poſt empyema fiunt
ipitis gravitas, ſtupor, ſonitus bom-
que aurium, ſurditas cum comate,
irulentæ præſagiuntur Parotides. Præ-
intiantur etiàm ſi ſignis puris in ſan-
iine ſuccedat dolor glandularum Pa-
tidum: ſi intropulſo quopiam abſ-
ſſu externo doleat caput & rapti ad
periora puris ſint indicia.

Quotiès poſt factas Parotidas puru-
ntas minuuntur morbi ſymptomata,
enè ſperandum; malè, quotiès non
inuuntur aut adaugentur.

Peſſimæ ſunt citò evaneſcentes ea
Parotidum ſpecies. Peſſimæ quæ fiun
ſub morbi finem exhauſtisque ægri v
ribus.

Pus effluens par aliquod colatoriun
ut inteſtinale, renale, interìm imm
nutâ morbi ſævitie & evaneſcente Pa
rotide morbum aliquandò ſolvit.

Materies purulenta facto impetu &
promptè ad Parotidas colligitur in mo
bis acutis: lentè ſenſim & ſine ſenſ
in chronicis.

*Tertiò.* A venenorum exhauſtorum ma
teriâ ad Parotidas delatâ alterum fie
Tumorum Parotidum genus probar
hæc *Senerti* verba.... » Sed & vene
» nis exhauſtis Parotides accidere po
» ſunt; id quod Vitebergæ factum me
» mini. Cùm enìm ancilla quædam pi
» ces coctura ex vaſe in quod glis in
» ciderat & in aquâ ſuffocatus fuera
» aquam imprudens hauſiſſet ac in e
» piſces coxiſſet: ſtudioſi, nì fallor de
» cem, cùm hoſpitâ ægrotare cœperun
» & aliquot ex iis mortui ſunt. Ex i

» qui convaluerunt, duobus etiàm Pa-
» rotides post aures erupuerunt.

*Quartò.* Quæ per bubones & anthraces ad exteriora vergere consuevit pestis materia, sæpè (*a*) etiàm versùs Parotidas convertitur. Undè genus *Parotidum pestilentialium*, quarum eventus eruas è febris pestilentialis historiâ.

*Quintò.* Demùm in temperamentis leucophlegmaticis præsertìm adveniunt Parotides aut œdematosæ aut schirrosæ, prout vel fluxilis vel concreta hæret lympha coacervata copiosiùs intrà texturam Parotidum.

Istud Parotidum genus designasse videtur Duretus (*b*) his verbis... » Sìn
» autèm crassi & frigidi humores in-
» flectunt cursum ad caput, comata
» & Parotidas adferunt. Hujus generis
» Parotidas paraplegiæ supervenientes

(*a*) Vide diversas pestis Historias passim apud Scriptores Medicos.

(*b*) Duretus in coac. Hippocrat. lib. 1.

» pessimas esse pronunciavit Hippocrates (*a*).

In Parotidibus generatìm consideratis optanda resolutio, si materia contenta bona sit; & è contrà si materia sit prava, maligna, venenosa, pestilens.

Ut plurimùm pertinaces magìs sunt Parotides inflammatoriæ secundariæ quàm primariæ. Inflammatoria ab actione mercurii, imminentem ptyalismum præsagit.

Parotis œdematosa facilè in schirrosam & in cancrosam mutatur ab actione fortiorum resolventium & repercussivorum.

Parotides quæ ab inquinatâ generali sanguinis massâ oriuntur, etsi benè suppuraverint, attamen salutem non portendunt.

---

(*a*) Vide quæ de iis protulit Duretus in lib. coac. Hippocrat. pag. 116.

Lex hæc eſt generalis & invariabilis quòd Parotides quæcumque erumpentes ſine ſymptomatum imminutione, vel cum eorum augmento, malæ ſint; & dicuntur *ſymptomaticæ*: Parotides erumpentes cum ſymptomatum remiſſione, bonæ ſint; & *criticæ* nuncupantur.

Ut feliciter procedat curatio Parotidum; attendere juvat nùm primariæ nùm ſecundariæ ſint.

1°. Parotidis primariæ tùm inflammatoriæ, tùm purulentæ, ſivè œdematoſæ, ſivè ſchirroſæ curatio repetenda eſt ab iis quæ dicta ſunt in curationibus phlegmones, œdematis & ſchirri.

2°. In Parotidibus ſecundariis perſanandis auxilia interna deſumenda ſunt à methodo curandi morbos è quibus promanant Parotides.

In genere ſi bona ſit materies Parotidis inflammatoriæ, non nimìs impacta, nec maligna, nec peſtilens, in vaſis integris coacervata tentari poteſt reſolutio topicis appropriatis.

Si mala ſit materies, non reſolubilis, peſtilens aut maligna, adjuvanda ſuppuratio maturantibus & ſuppurativis.

In Parotidibus purulentis quibuſcumque non expectandum quominùs natura ſibi viam aperiat, ſed citò ferro utendum eſt. Mox expurgandum ulcus, & procuranda cicatrix quod plerumque facilè non (a) exequimur.

Parotis venenoſa expetit alexipharmaca & promptam materiei expurgationem.

In Parotide actione mercurii productâ per dies aliquot ſuperſedendum eſt frictionibus mercurialibus.

In tractatione Parotidum tùm criticarum tùm ſymptomaticarum abhorrendum à repercutientibus.

Si debilior ſit natura ſibique non ſufficiat refocillanda eſt: & è contrà temperandi ſunt nimii ipſius motus.

(a) De difficultate perſanandi ulceris Parotidum Vide Ledran obſerv. chirurg. tom. 1. pag. 6.

ſic naturam dirigendo, ars meliùs ſuccedit.

### *De Bubonibus.*

*Bubo* genericè conſideratus eſt Tumor humoralis inguinibus inſidens. Incipiens ſeù imperfectus Bubo merè lymphaticus eſt: Bubo perfectus ſchirro-phlegmonodes exiſtit. Quæ diſtinctio ad explicandam Bubonis efformationem ſummè utilis.

Imperfecti Bubonis ſigna ſunt Tumor inguinalis exiguus, renitentia & durities, nullus fermè dolor, nullomodò aut parùm mutatus cutis color.

Perfecti Bubonis notæ ſunt major Tumoris moles, ipſius dolor, calor, rubor, durities, lentor ad ſuppurationem.

Sedent Bubones quicumque in glandulis conglobatis quæ locantur ad inguina. Duplex fit obſtructionis ſpecies in illis glandulis antèquam Bubo perfectionem fuerit adeptus. Obſtructio

antecedens lymphatica eſt: locum habet in vaſis lymphaticis valvuloſis corpus glandulæ inguinalis ingredientibus ex unâ parte & egredientibus ex alterâ. Obſtructio ſubſequens eſt ſanguinea: accidit in apicibus ſanguiferarum arteriolarum quæ majores diſperguntur ſuprà membranam exteriorem glandulæ inguinalis; mox ramis minoribus & plerùmque multiplicibus penetrant ſubſtantiam glandularem atque extremis propaginibus ſuprà folliculos & ad vicinia deſinere videntur.

*Sextuplex* annotandum venit Bubonum *genus*: ſcilicèt Bubo *ſimplex*; Bubo *febrilis*; Bubo *peſtilentialis*; Bubo *venereus*, *Poulain*; Bubo *puerilis*, les Croiſſants; Bubo *ſcorbuticus* & *ſcrophuloſus*.

*Primò.* Si à causâ quâpiàm (nequè febrili, nequè peſtilentiali, nequè venereâ, nequè ſcrophuloſâ, nequè ſcorbuticâ) lympha quæ per vaſa bartholiniana ad glandulas inguinales defertur, ibì hæreat ſpiſſior, ſiccior, concreſcens obſtructionem faciet quæ principium eſt Bubonis

ſimplicis. Creſcet ſubindè ſchirroſa hæc obſtructio: comprimentur arteriæ ſanguiferæ in exteriori membranâ glandulosâ diſperſæ & ſuprà folliculos ramificatæ: hìnc difficilis tranſitus ſanguinis per extrema arteriarum compreſſarum: facta obſtructio ſanguinea: ſubſequens inflammatio.

Ergò in efformato Bubone ſimplici vaſa lymphatica ſchirroſa ſunt; vaſa ſanguifera tenet inflammatio. Ex quo duplici morboſo ſtatu fluunt pathognomonica Bubonis ſimplicis ſymptomata.

*Secundò.* In febribus quibuſdam, malignis potiſſimùm, ſanguis & lympha ad fluendum per vaſa minima parùm habiles lenteſcunt, hærent pluribus in locis, eòque faciliùs quòd in febrium malignarum genere vires cordis & arteriarum non validè impellant. Si igitur portio materiei febrilis ad inguina determinetur, obſtructiones procreat tùm in lymphaticis tùm ſubindè in ſanguineis glandularum inguinalium:

undè Bubones febriles.

*Tertiò.* Eo tempore quo grassatu pestis aut uno vel altero anno pos illam (*a*) vigent Bubones pestilentia les qui modò solitarii, modò cum car bunculis erumpunt. Bubonum non pes tilentium characterem servant pestilen tes in majori suâ sævitie.

*Quartò.* Bubonibus ex impurâ vene re ortis sæpè infestantur inguina. Il Tumores subsequuntur luem veneream tùm recentem tùm inveteratam, go norrhæam virulentam suppressam pa rcius-vè fluentem & ulcuscula can crosa.

Non secùs ac cæteri Bubones, licè diversâ causâ, efformantur Bubones ve nerei in quibus primò & essentialit obstruuntur vasa glandularum inguina

(*a*) Febres quæ anno uno vel altero post g viorem pestem grassantur pestilentes sunt & simil medendi rationem sibi vindicant. *Sydenham* de fe pestilentiali & peste.

lium lymphatica; per accidens tantùm inflammatis earum arteriis ſanguiferis.

*Quintò.* Rariùs ſcorbutum, ſæpiùs luem ſtrumoſam comitantur Bubones, ideò ſcorbutici & ſtrumoſi dicti.

*Sextò.* Pueris & adoleſcentibus ſæpè adveniunt duri Tumores glandularum inguinalium : parùm aut nihil habet inflammatorii hoc Bubonum genus quod inter alia genera mitius eſt.

Jàm verò cognoſcitur Bubo ſimplex 1°. Per abſentiam ſignorum luis veneræ, gonorrhææ virulentæ, febris vel alterius morbi antecedentis aut concomitantis Bubonem. 2°. Per præſentiam Tumoris inguinum initio parvuli, duri, mox pedetentìm creſcentis, rubri, dolentis, calentis. Bubonibus ſimplicibus proniora ſunt ea temperamenta cachectica quorum humor lymphaticus inſpiſſatione peccat, aut huic ſuſcipiendæ multùm diſpoſitus eſt. Plurimùm lentæ ſunt Bubonis ſimplicis inflammatio & ſuppuratio. Timendum nè longiori remorâ puris fiant fiſtulæ

perniciosæ & curatu difficiles (a). Non ergò expectandum quòd spontè rumpatur ulcus, sed à Chirurgo aperiendum illud est.

In febribus malignis Bubones symptomatici erumpentes sine imminutione symptomatum aut cum ipsorum augmento exitiales pronuntiantur : & è contrà præsagitur salus à criticis Bubonibus quibus succedit remissio symptomatum. Pessimum est si in Bubonibus febrilibus observentur durities, sensus ustionis, lividitas, gangrænodea dispositio; interìm pulsu existente debili, obscuro. Noscitur materiam febrilem Bubones producentem peccare potissimùm inspissatione, dùm Bubones sunt indurati absquè ullo ustionis sensu; simùlque adfuerunt vehementia rigorum febrilium, inæqualitas potiùs

(a) Vide quæ proferunt circà periculosas Bubonum fistulas Fabric. ab aquâpendente, lib. 1. de Tumoribus cap. 13. Zacut. Lusitan. lib. 1. cap. 72.

quàm frequentia pulſûs, ſopor, ſomnolentia obſtinata, delirium obſcurum, urinæ ſanis ſimiles aut quales jumentorum.

Prædominans materiei febrilis Bubones facientis acrimonia declaratur per rigores febriles minores, corporis calorem acrem, cutem velutì exſiccatam, oris & faucium ardorem, ſitim intenſam, delirium cum vigiliis, pulſum frequentem correptum, urinas rubras admodùm ardentes & aliquandò ſanguinolentas, deniquè per ſenſum uſtionis in Bubonibus. In genere periculoſiores ſunt Bubones febriles ab acri quàm ab ſpiſſâ materiâ tùm ob difficiliorem medelam febrium malignarum ab acri, tùm ob frequentiorem ad interiora metaſtaſim acris humoris Bubones facientis.

*Febres in Bubonibus calamitoſæ ſunt omnes, præter ephemeras.* Hippocrat. aphor. 55. lib. 4. *Qui ſine cauſâ manifeſtâ naſcuntur Bubones, cum viſcerum inflammationibus unà invadunt; ob eamque cau-*

*ſam febres cum iis conjunctæ peſſimæ eſſ ſolent.* Galenus.

Ab aliis Bubonibus quibuſcumque haud difficilè diſtinguuntur peſtilentes Bubones; ſi attendatur ad peſtiferam conſtitutionem vigentem aut à pauco tempore evanitam.

*Benigna Bubonis eruptio quæ materiam morbificam foràs ablegat, ægrotantes peſtiferos ab luctuoſiſſimo diſcrimine liberat.* Sydenham. *Lubricam atquè aleæ plenam in ſe eſſe peſtis per Tumores judicationem ex eo manifeſtum eſt, quòd interdùm Bubo qui primùm laudabiliter ac cum ſymptomatum remiſſione protuberavit, poſteà ex improviſo diſpareat ejusque loco maculæ purpureæ, certiſſimi mortis indices, ſuccedant.* Sydenham. *Peſtilentes Bubones qui cum fluente liquidis, maximèque aquoſis, cruditatis participibus excrementis alvo, lethales fiunt.* Duretus in coac. Hippocrat. lib. ultimo. *Præſtat in peſte febrem ſupervenire Buboni, quàm febri Bubonem.* Duretus in coac. lib. 1.

Bubones venereos diſtinguit Aſtru-

cius

cius in phlegmonodæos, œdematodæos, & ſchirrodæos: quæ variæ ſpecies determinantur per diverſitatem ſymptomatum. Viru venereum cum lymphâ glandularum inguinalium commixtum, hanc inſpiſſat & Bubonem creat nùnc in dextro nùnc in ſiniſtro, nùnc in utroque inguine. *Vide Aſtrucium de morbis venereis.*

Quid de Bubonibus ſcorbuticis & ſtrumoſis ſentiendum ſit edocemur per cauſam & effectus ſtrumarum & ſcorbuti. Illi Bubones facilè ab aliis diſtinguuntur per ſigna horumce morborum characteriſtica.

Eò tempore quò accreſcit corpus, ſeù dùm plùs additur partibus ſolidis noſtri corporis quàm fuit amiſſum, redundans lympha coacervatur in juvenilium corporum glandulis inguinalibus, quæ intumeſcunt & indurantur. Nihil metuendum eſt ab hâc Bubonum ſpecie. Solius naturæ vires reſolutionem ut plurimùm perficiunt.

Ex iis quæ hactenùs de diverſis Bubo-

nibus prolata fuêre intelligitur signis pe-
culiaribus designari unamquamque Bu-
bonum speciem; diversissimamque de ii
afferendam esse prognosim. Omnia Bu-
bones criticos intròpellentia rejicienda
sunt. Quandòque profundiùs serpi
exulcerati Bubonis materies (*a*) gra
vissimaque infert symptomata, caven-
dum nè incautè Bubones confundan-
tur cum herniis inguinalibus (*b*) &
præsertìm cum enterocele crurali.

Quod attinet ad therapeïam Bubo-
nis 1°. Bubonum pestilentialium, vene-
reorum, scorbuticorum & strumosorum
cura, ad curationem morborum è qui-
bus sobolescunt ii Tumores, remitten-

(*a*) Thomas Bartholinus observavit in muliere Bu-
bonem exulceratum è quo simùl cum pure exibant ma-
teries alimentares. Undè nullum dubium quìn pus u-
què ad intestina penetraverit eaque corroderit. *De*
*Médecine éfficace*, *tom. 4. centurie 9. observ. 57.*

(*b*.) Imperitus Barbitonsor Bubonocelen pro Bubo-
ne venereo habuit, secuitque, prodeuntibus ex in-
testinis alvi fæcibus. Petr. Marchet. observ. 55. vi-
istius nostri Tractatûs pag. 7. nott. (*c*).

da eſt. Bubones pueriles ſi ſpontè non eſolvantur diùque perſiſtant, curantur acillimè corporis exercitatione; parcioribus alimentis; purgantibus; levibus incidentibus; topicis emollientibus, ttenuantibus, diſcutientibus. 2°. Bubo ſimplex expetit diætam generaliaque remedia quæ in curatione phlegmones fuerunt deſignata. Itàque eò tenuior diæta præſcribatur quò major eſt Bubonis ſimplicis ſævities, majorque gradus febris à Bubone excitatæ. Si Bubo ſit incipiens & futuram promittat reſolutionem ea adhibeantur reſolventia quæ Tumori partìm ſchirroo, partìm leviter inflammato conveniunt. Si vel impoſſibilis vel contraindicata ſit reſolutio, Tumor in pus vertatur ſuppurantibus depromptis è claſſi ctuoſorum & attenuantium, ob inertiam & ſpiſſitudinem materiei Bubonis. Factâ ſuppuratione, illicò ferro apeiendum eſt ulcus quod more conſueo detergetur.

## *De Tumoribus Buboni-formibus.*

Etiàmsi nomen Bubonis apud Græcos significet ipsum inguen; voluerunt tamen Tumores glandulosos inflammatorios sub axillis, in jugulo, & ad latera maxillæ inferioris enascentes, Bubonum titulo etiàm insigniri. Spurii illi Bubones, rectè *Buboni-formes* (*a*) dicti Bubonibus veris seù inguinalibus simillimi easdem obtinent differentias: sunt enìm modò simplices, modò febriles, nùnc pestilentes, nùnc venerei; aliquandò scorbutici vel scrophulosi. Tumorum Buboni-formium eventus variant pro varietate causæ Tumoris, extensionis, profunditatis, terminationis. Citiùs procedit suppuratio Bubonum sub axillis aut in collo, tardiùs in inguinibus. In vico Sancti Bricii propè

(*a*) Astrucius de morbis venereis, tom 1. lib. 3. cap. 5. pag. 229.

Monſpelium vidi in ægrotante Ruſtico Bubonem ſubaxillarem malignum & exulceratum tantæ extenſionis ut binorum pugnorum magnitudinem adæquaret. Apertio cadaveris Chirurgo inſtituta docuit à pure corroſivo ità denudata fuiſſe vaſa ſubaxillaria ut nè minimum adipis fruſtulum ſupereſſet; imò exteriùs corroſas fuiſſe membranas venæ axillaris quæ inſufflata, ob tenuitatem membranarum ſubitò diſrupta fuit.

## *De Scrophulis.*

*Scrophulæ*, *Strumæ*, gallicè *les Écroüelles*, ſunt Tumores lymphatici ſchirroſæ naturæ, à *viru ſcrophuloſo* excitati in locis glanduloſis, plerùmque indolentes, inſenſibiliter efformati & ſuccreſcentes, ſigniſque characteriſticis inſigniti.

Innumerabilium ſymptomatum catervam in humano corpore excitat viru ſcrophuloſum utì ſpinam ventoſam,

pædarthrocacem, plerosque rachiticorum affectus, phthiſim (*a*), alvi fluxus maximè pernicioſos, febrem lentam, maraſmum, hydropem, eryſipelas, exanthemata, aliaque plura morbifica ſymptomata quæ à lue ſcrophuloſâ progigni dignoſcit obſervator ſedulus. Sed hæc propoſito aliena.

Sedes propria ſcrophularum ſunt glandulæ conglobatæ ſeù lymphaticæ quæ per totam ferè corporis regionem (*b*) diſperguntur, præſertim verò illæ

(*a*) Vide Morton de phthiſi ſcrophuloſâ.

(*b*) Rectè in externas & internas dividuntur glandulæ conglobatæ quæ ſtrumoſâ lue afficiuntur. 1°. Externæ ſunt glandulæ lymphaticæ juxtà ſalivares conglomeratas poſitæ; jugulares quæ ſecundùm venæ jugularis internæ tractum ordinantur; cervicales ad poſteriora & ad latera colli copioſiſſimè diſſeminatæ; axillares, inguinales, mammariæ, & innumeræ aliæ glandulæ conglobatæ inter-muſculares aut adipoſæ, ad exteriora capitis, pectoris, abdominis & extremitatum diſperſæ. 2°. Glandulæ conglobatæ internæ ſunt mezentericæ, & eæ omnes quas in cavis pectoris, abdominis, & intrà viſcerum contentorum textum detexit Anatomicorum ſolertiâ.... Conſulantur Vvarthonus, Malpighius, Vvinſlovius, Morgagnius.

quæ locantur ad collum, axillas, inguina, genua, cubitum, carpum, digitorum articulationes.

Oriuntur ſtrumæ à cacochymiâ lymphæ viſcoſæ & acris quæ per vaſa bartholiniana ad glandulas conglobatas defertur. Determinata hæc lymphæ ſtrumoſæ cacochymia glandulas lymphaticas obſidens cauſam proximam & continentem ſcrophularum ponit: *& non ampliùs ſcitur* ( quidquid de proprietatibus ſalium in viru ſcrophuloſo contentorum fusè ſed non dilucidè enuntiaverit Charmettonus ( *a* ) ).

Virulentam lymphæ ſtrumoſæ cacochymiam conſtituunt 1°. Lues ſtrumoſa à parentibus tranſmiſſa. 2°. Lac nutricis ſcrophuloſæ ab infante hauſtum; vel idem lac, etiàmſi ſana fuerit nutrix, in primis viis infantis malè ela-

---

( a ) Eſſai théorique & pratique ſur les Écroüelles par Mr. Charmetton, Chirurgien de Lyon, imprimé à Avignon 1752.

boratum aut perverſum 3°. Apud ju-
niores, aut apud virgines picâ laboran-
tes abſurdorum, crudorum uſus 4°.
Apud omnes ingeſta quæ valent glu-
tinoſos, viſcoſos & acres humores ſup-
peditare 5°. Vitia motûs circulatorii
vel exceſſu vel defectu peccantis 6°.
Sanguis ſpiſſus & acer lympham ejuſ-
dem indolis è penu ſuo in ſecretoria
lymphatica emittens 7°. Deniquè cau-
ſæ quæcumque internæ, externæ, for-
tuitæ, neceſſariæ, quibus viſcoſitas &
acrimonia ſucco lymphatico concilian-
tur.

*Benignas* inter & *malignas* ſtrumas
æqua datur diſtinctio. Benignæ duriuſ-
culæ ſunt, mobiles, indolentes, cuti
concolores, aliquandò inflammatæ ſed
leviter, exulceratæ, mitè ſuppurantes;
uno verbo levibus ſtipatæ ſymptoma-
tis. Malignæ verò duriores exiſtunt, im-
mobiles partibusque vicinis adhæren-
tes, dolorificæ, ſubrubræ aut lividæ,
maligniter exulceratæ, ſigna gravia præ
ſe ferentes & ſæpè morbos graviſſimos
poſt

post se trahentes. In assignandis strumarum diversitatibus ad sequentia juvat attendere.

1°. Modò unica existit struma: modò plures adsunt. Struma dùm unica est, rarò efformatur à solâ glandulâ obstructâ, sed fit concursu plurium glandularum strumosarum velutì coacervatarum. Strumæ multiplices vel solitariè in diversis partibus disperguntur, aliæ ab aliis remotissimæ: vel non longè à sese mutuò enascuntur in eâdem parte.

2°. Scrophulæ collum occupantes aut superiores, aut mediæ, aut inferiores sunt: nùnc tracheam-arteriam & laryngem attingunt & comprimunt; nùnc directione ad posteriora ab iis partibus recedunt; quandòque longâ serie ordinatæ tendunt à jugulo ad claviculas & *concatenatæ* dicuntur: vasa jugularia aliquotiès attingunt iisque adhærent.

Axillis & inguinibus advenientes Scrophulæ confundi possunt cum bu-

bonibus, aut cum tumoribus buboniformibus, à quibus tantùm videntur differre ratione causæ.

Cubito, carpo, digitorum articulationibus, genubus frequenter supernascuntur Scrophulæ, quæ, more obstructionum à congestione, fiunt sensim & sine sensu. Has strumas comitantur articulationum immobilitas, dolor acutissimus, summi ponderis sensus, sæpè ossium extuberatio, caries. Dantur strumæ omnium profundiores, quæ ossibus utì costis adhærescunt, atquè sese tumefaciendo propellunt musculos aliasque partes molles superpositas.

Advertere jàm convenit frequentiùs quàm vulgò creditur Scrophulis laborare interiora corporis. *Barbettus* (*a*) in cadavere virginis quæ strumas in collo gesserat, reperit mille ultrà glandulas scrophulosas à faucibus ad

(*a*) Barbettus lib. 2. cap. 2.

os pubis uſquè. *Fontanus* (*a*) diſſecuit cadaver juvenis qui à ſtrumis fauces & vias aëreas comprimentibus ſuffocatus fuerat: repertæ ſunt ſtrumæ in ventriculo, pulmonibus, omento, mezenterio, pancreate, inteſtinis, collo veſicæ. *Heurnius* (*b*) ſcrutatus eſt cadaver puellæ quæ diù ſtrumis multis & magnis in colli ambitu & ſub axillâ ſiniſtrâ laboraverat: obſervatum eſt mezenterium, omentum, pancreas innumeris & prægrandibus ſcatere ſtrumis; peritoneo, diaphragmati, mediaſtino, uterique ligamentis plures inſederant Scrophulæ; orificium ventriculi ſuperius ſtrumas etiàm habebat; hepar, lien, pulmo extùs intùsque ſtrumis referta erant; tunicæ inteſtinorum & renes minutiſſimis Scrophulis infeſtabantur; demùm in

(*a*) Nicol. Fontanus, reſponſ. & curat. medic. pag. 66.

(*b*) Heurnius, obſerv. 10.

durâ meninge ſtruma reperta fuit.

Ex quibus millenisque ſimilibus ob-ſervatis conſtat ab obſtinatis & maligni ſtrumis exterioribus, ſemper ſuſpican-dam eſſe internarum ſcrophularum exiſ-tentiam.

3°. Plurimùm in acquiſitâ mole va-riant Scrophulæ, quarum aliæ minima ſunt nucis avellanæ aut ciceris magni-tudinem non ſuperantes: aliæ majore exiſtunt quales vulgò in collo inguini-bus, aut axillis obſervantur: aliæ maxi-mæ molem capitis infantum adæquan-tes ab axillâ utrâque propendere viſa ſunt (*a*). Scrophulas in collo cujuſdar auſtriaci vidit *Fabricius Hildanus* (*b*) quæ in tantam magnitudinem excre verant, ut colli circumferentia ſeſ ad ſpithamas ferè quatuor extenderet iis ſtrumis non ſolùm replebatur ſpa

(*a*) Obſerv. Philipp. Salmuth, Sereniſſ. Princi Danhalt Med. primar.

(*b*) Fabric. Hildanus centur. 3. obſerv. 85. monſtroſo & ſcrophuloſo collo.

tium quod eſt inter collum & baſim maxillæ inferioris; ſed etiàm ad aures, ſuturam lambdoideam, mediamque partem ſterni producebantur illi Tumores. *Dominicus Panarolus* Medicus Romanus (*a*) vidit in juvene duodecim annos nato Tumorem ſcrophuloſum qui poſt mortem fermè quadraginta libras ponderavit.

In molem adeò prodigioſam (*b*) temporis lapſu, ſtrumas aliquandò excreſcere mirari deſinet qui animo volutaverit immenſam copiam liquidorum quæ intrà notabile temporis ſpatium ad Tumores ſtrumoſos affluit; ſenſimque & ſine ſenſu diſtendit partes ſolidas quarum vaſa ſunt dilatabilia uſquè ad ſtupendam tumefactionem.

---

(*a*) Dominic. Panarol. Medic. roman. obſerv. tom. 4. *De la Médecine éfficace pag. 216.*

(*b*) In brachio mulieris obſervatus eſt Tumor lymphaticus enormis qui ducentas circiter libras ponderabat. Ephemerid. German. ann. 1692. Dec. 3. obſerv. 2.

4°. A parentibus in prolem transmittitur viru ſcrophuloſum, quod uni familiæ ſemèl affixum, obſtinatè propagatur à generatione in generationem. Labes hæc infantibus communicata, citiùs ociùs per varia ſigna morbifica & per Tumores ſtrumoſos manifeſtatur. Si ſit adhibenda fides obſervationibus ad me tranſmiſſis, ſæpiſſimè Scrophulis infeſtatur proles illorum qui lue venereâ laborarunt etiàmſi antè prolem genitam benè curati fuerint, aut tales apparuerint. Undè ſuſpicandum an umquàm in ſtatum perfectè ſanum redintegretur lympha quæ viru venereo præſertìm inveterato ſemèl fuit inquinata.

5°. In Hiſpaniâ endemicè graſſantur ſtrumæ: an ob aëris, alimentorum, alteriusve cauſæ externæ & univerſalis impreſſiones morbificas? an ob luem veneream neglectam? ultima ſuſpicio veroſimilior eſt. Tirolienſes incolæ endemiis ſtrumis laborare dicuntur. Endemiæ quòque ſunt ſtrumæ in cer-

tis Galliæ Provinciis utì apud (a) Boïos. Vernacularum ſtrumarum graſſantium in diverſis regionibus cauſas perquirant qui probè norunt harumce regionum conſtitutionem aëream, ſolum, viciſſitudines tempeſtatum; atquè incolarum vivendi normam, temperiem.

6°. Eædem ſemper non ſunt acrimonia & viſcoſitas lymphæ ſtrumas efformantis. Mitior aliquandò hæc materia profundè non ſerpit, partes vìx irritat: aliquandò malignior membranas, muſculos, tendines, cartilagines exedit; ſæpè acerrima ipſammet ſubſtantiam oſſeam corrodit; tùnc verè cancroſa. Variare quòque colorem & conſiſtentiam materiei ſtrumoſæ evincit inſ-

(a) An non ſatìs veroſimiliter incuſari poſſunt innumeræ aquarum vivarum Borboniarum ſcaturigines, à quibus teſtante indigenâ D. Goutaudier, Medicin. Doct. ſtrumæ glandulæ thyroïdeæ potiſſimùm adveniunt. Indolem ſchirroſam redolent eæ ſtrumæ & rariſſimè in ſuppuratum abeunt.

pectio. Albida, pallida, grisacea, flave-
cens; subrubra observatur: gipseam
mellitam, pultaceam, gelatinosam
aqueam, saniosam, sevo similem ind(
lem diversis in casibus obtinet: tanta
duritiem habere visa est ut cultro fi
missimè adacto resisteret.

7°. Signis peculiaribus distinguuntu
strumæ venereo morbo complicatæ a
strumis simplicibus: suas & quòque n(
tas habet quælibet species strumaru
complicatarum quibus & genus com
plicationis cognoscitur & ab aliis n(
complicatis Scrophulis secernitur.

In genere strumæ sunt Tumores m
ximè pertinaces & curatu difficillim

Semper timendum à præsentiâ viri
scrophulosi in corpore. Si enìm pede
figat in quopiam nobili viscere, aut
generali productâ humorum deprav
tione febrem lentam excitet, morte
affert ut plurimùm.

Pessimi sunt ominis malignæ stru
mæ terminatæ in ulcera cacoëthea
aut cancrosa; in exostoses vel caries

in fiſtulas aut partium mollium mortificationem; in ſubdolam ſuppurationem, abſquè ſymptomatum gravium apparatu, inferiora corrumpentem.

Benè ominandum à benignis Scrophulis mobilibus quæ ad felicem exitum tendere videntur nequè ulla moleſta excitant ſymptomata.

Timete ſtrumas quæ plurimùm multiplicantur; quæ nimiâ mole præditæ ſunt; quæ viis aëreis ſunt vicinæ; quæ articulationes, quibus inſident, deſtruunt; quæ ab exterioribus ad interiora, factâ metaſtaſi, repelluntur; quæ ſunt hereditariæ.

Minùs noxiæ ſunt Srophulæ in juvenili quàm in provectiori ætate: in hâc frequentiores, in iſtâ rariores. Apud pueros quorum parentes ſcrophuloſos fuiſſe noſcitur, etiàmſi in tenerrimâ ætate ſtrumæ non appareant, ſuſpicandus eſt illarum exortus verſus ſeptimum, octavum, aut nonum ætatis annum.

Curatæ ſtrumæ, ſæpè reviviſcunt

nùnc in eodem nùnc in altero loco. Aliquandò perniciosa fit harum curatio ob refluxum versùs interiora materiei strumosæ, quæ anteà ad eos Tumores velutì ad emunctorium tendebat.

Strumæ vel sunt incurabiles, vel curationem suscipiunt.

1°. Si in curandis radicitùs Tumoribus scrophulosis Medicina chirurgiaque impotentes sint, ad palliativa confugiendum, ut mitigatio symptomatum, & talis qualis vitæ prolongatio obtineantur. Quæ indicationes palliativæ adimplentur diluentibus, edulcorantibus, incrassantibus, lacticiniis, narcoticis, & purgativis lenibus identidèm repetitis. Horum remediorum efficaciâ leniuntur & inviscantur acriores materiei scrophulosæ particulæ, major quies ægro conciliatur, diesque illius diutiùs protrahuntur.

2°. In tractandis strumis curabilibus advertendum quænam sint ægrotantis ætas & temperies; quænam appareant signa morbifica; quibusnam in sedibus

hæreant ſtrumæ ; nùm recentes nùm inveteratæ ſint , nùm ſimplices nùm cum altero viru complicatæ.

*Primò.* Si cum viru venereo complicentur ſtrumæ, ſtatìm methodicè tractanda lues venerea, poſtmodùm ſtrumarum medela ſuſcipitur. Si febris lenta, maraſmus, hydrops aliique affectus ſcrophulas comitentur, præſcripta remedia iis morbis debent accommodari.

*Secundò.* Simplices ſtrumas tractandi methodus eadem ſemper futura non eſt, ſed varianda pro diverſis circumſtantiis.

In genere, remedia interna quæ ſumni ſunt uſûs ad immutandam ſanguiis & lymphæ Scrophuloſorum conſtiutionem verſantur circà humectantia, iluentia, levia aperitiva , ſudorifica on incendioſa , ſolventia inter quæ ulces præparationes mercuriales, lacicinia & præſertim lac aſininum uod præſtantiſſimum dùm febris lenta crophulis adjuncta eſt. Deſignata re-

media alterantia præſcribuntur ſub for-
mulis diverſis uti juſculorum, apoze-
matum, ptiſanarum, decoctionum,
opiatarum, bolorum. Potiones cathar-
ticæ & ab initio & in decurſu morbi
locum obtinent; non ſecùs ac venæ
ſectiones caſibus exigentibus celebran-
dæ, & diæta exactiſſima.

Evenit aliquotiès, præſertim in in-
fantibus, per remedia exacerbari ſtru-
mas: tùnc quæcumque remedia rejic
debent & expectandum à ſolâ diætâ
convenienti, cum ætatis & tempera-
menti mutatione Scrophulas evanitu-
ras. Dùm verò à remediis non ingra-
veſcit morbus, ea per plurium anno-
rum ſeriem iteranda ſunt: pertinax
enim viru ſtrumoſum nonniſi ſucceſſio-
ne temporis & remediorum conſtant
actione deſtruitur.

Summa & quoquè attentio debetu
uſui remediorum externorum, qu
ſpectant ad reſolventia cautè applican-
da ſi Tumor reſolubilis ſit & nihil con-
traindicet; ad ſuppurantia benè elect

dùm per ſuppurationem terminandæ ſtrumæ, ad deterſiva (*a*) pro ulcere efformato, ad cauſtica & ad ferrum pluribus in circumſtantiis.

Cæterùm in collo numeroſiores & confertiſſimæ ſtrumæ nèque aduri nèque ferro tolli debent; mors enìm operationi brevi ſuccederet. Parcendum etiàm ſtrumis adhærentibus trunco nerveo (*b*), vaſi notabili, &c..... Attendendum ad exoſtoſes & caries à ſtrumoſâ labe productas; ad ſinus, fiſtulas, labra ulcerum calloſa: iis aliis-

(*a*) Difficillimam eſſe ulcerum ſcrophuloſorum deterſionem cuilibet notum eſt; inter diverſa mundificantia quæ pro iis ulceribus adhiberi poſſunt, nulla novi tàm efficacia quàm pomata D. Goulard Expertiſſimi Chirurgi Monſpelienſis. Hoc remedio horrenda ulcera ſcrophuloſa ſivè ſimplicia ſivè cum alio viru complicata feliciter deterſa fuiſſe, plures ſunt teſtes oculares qui confirmant. Quibus in caſibus & ſub quâ formulâ iis pomatis utendum ſit vide in Epiſtolâ D. Goulard ad D. de Lamartiniére, Regis Chirurgum Primarium. Monſpelii menſ. Novemb. 1751.

(*b*) Fabric. Hildan. obſerv. 35. centur. 3.

que ſtrumarum ſymptomatibus juxtà artis regulas ſuccurritur.

## *De Cancris in genere.*

Tumor inter cæteros maximè atrox, græcè *Carcinoma*, latinè & gallicè *Cancer* nuncupatur. Signis inſignitur diverſis pro vario Cancri ſtadio.

Naſcentis & tenelli Carcinomatis non ſemper facilis eſt cognitio. Hæc eruitur ut plurimùm à prægreſſo ſchirro imperfecto in quo ſenſus titillationis, pruritûs, puncturæ, & tandèm doloris perſentitur; quibus aliæ Cancri notæ ſuccedunt. Schirrus, Carcinomatis germen, modò intrà paucum tempus cancroſam induit naturam; modò & ſæpiſſimè ſchirroſus manet per plurium annorum ſeriem. Abſquè præexiſtentibus ſchirris enaſcuntur Cancri à meris verrucis. Evenit etiàm maſſam fungoſam ſatìs mollem nulloque

actо ſchirroſam in Cancrum degene-
are (a).

Cancer confirmatus ſed adhucdùm
ccultus, tactu durus percipitur, fi-
urâ rotundus, ſuperficie inæqualis,
olore lividus aut ſubniger, calore deu-
enti exardens, doloribus lancinantibus
odò per intervalla recurrentibus mo-
ò fermè continuis ſtipatus, vaſis ſan-
uiferis tumentibus lividis aut atris cir-
umdatus, prominente apice exulce-
ationis proximæ nuntio ditatus.

Cancer exulcerari incipiens *Darſim*,
l eſt, excoriationem eamque ſponta-
eam putrilaginoſam patitur; ſtillat
hor tenuis, acris; mox hiat ulcus ſor-
idum, horrendum viſu, inæquale, cum
bris fungoſis, præduris, inverſis; ſanies
funditur copioſa, fulva, virens, atra,
bominabilis, tetrum & cadaveroſum
dorem ſpargens, vicinas partes & in

(a) Leg. Van-Svvieten in aphoriſ. Boërhaav. n°.
6.

latum & in profundum obſtinatè cor
rodens, hæmorragias faciens; dolore
in Cancro ulcerato exacerbantur, fiun
intolerabiles; alia demùm graviſſim
lethaliaque ſymptomata procreantu

Plurimas certè mutationes patitu
fluidum Carcinomatis materiem ſuppe
ditans ab eo inſtanti quo obſtructio
nem lymphaticam poſuit, uſquequ
acquiſiverit indolem acerrimam, om
nium remediorum virtutibus ſuperio
rem, corpori mortiferam.

Quo pacto inſpiſſata, concreta, ine
moles lymphatica commutetur in ſa
niem corroſivam, perſpicuè explanar
maximè arduum, nè dicam impoſſib
le. Quod huic diſquiſitioni lucer
videtur affundere, paucis accipite.

1°. Sivè ab ſchirro imperfecto, ſiv
à verrucâ, ſivè à maſſâ fungoſâ oriun
dum ſit Carcinoma; lympha aut hu
mor ipſi analogus vaſa ſchirri, verru
cæ, aut fungi obſtruens peccat tan
tùm adauctis quantitate, ſpiſſitudin
aut induratione; nullis vel leviſſim
acrimonia

acrimoniæ indiciis apparentibus.

2°. Ad circumferentiam ſchirri imperfecti partibus cooperientibus per diſſectionem denudati qui in Cancrum commutari incipit, maculæ rubræ obſervantur ut plurimùm; vel ſerum effuſum extrà vaſa & ſchirri limbum irrorans. In primo caſu veroſimiliter inflammabantur vicinæ ſchirro partes; undè per ictus vaſorum inflammatoriorum commovebatur futura Cancri materia: in altero caſu aquearum partium vehiculo diſſolvebatur; quod ſolemne eſt in ſchirris œdematoſis in Cancrum abeuntibus.

3°. In Cancro quocumque occulto e corpore eradicato & oculis anatomicis ſubdito duplex diſtinguenda eſt pars. Prima quæ maximè mollis eſt, ad attactum diffluens, putrida, livida aut nigra, ſanioſa, materiei verè cancroſæ fomes eſt & velutì receptaculum. Altera ſanior aut minùs morboſa ſubſtantiam habet duriorem; vaſa & veſiculas quæ humorem lymphaticum ma-

ximè inſpiſſatum & immeabilem coercent : nulla ſanies in hâc ſecundâ Cancri portione. Modò in medio Tumoris, modò versùs latera collocatur liquidi cancroſi receptaculum ; undè abſquè dubio ad partes ſaniores ſeminium cancroſum propagatur lentiùs, celeriùs, pro virûs majori aut minori acrimoniâ. Receptaculum cancroſum aliquotiès cavitatem repræſentat acriori humore plenam: ſæpiùs autem ſolida deſtructa & permixta cum cancroſâ ſanie hunc Cancri fomitem conſtituunt. Talis certiſſimè diſpoſitio eſt partium ſolidarum & fluidarum in omni Cancro occulto. Sanies hujuſce Cancri conſtanter inodora apparet; ſed igni expoſita fètidiſſimum ſpargit odorem.

4°. Saniei è cancris exulceratis effluentis indolem acerrimam & velutì corroſivam demonſtrat præſertìm ſævities illius humoris non molles tantùm partes obſtinatè exedentis ſed & oſſa ipſamet. Quò impreſſionibus aëris exterioris ulcus cancroſum magìs expo-

nitur eò fetidior magìsque corrosiva evadit sanies.

Ex dictis patent gradariæ perversiones materiei cancrosæ : harum autem planè ignoratur physica ratio.

Non ex prædictis tantummodò Carcinomatum exulceratorum symptomatis detegitur saniei cancrosæ essentia ; sed eam etiàm confirmant sequentia observata.

D. Ledran Chirurgus parisiensis aperiebat vesiculam in medio extirpati Cancri mammarii positam, ex apertura saliit humoris contenti portio suprà Dissectoris vestimenta quorum color omninò fuit devoratus : idem humor conspersit faciem in quâ per plures horas dolores deurentes viguere (*a*). Lintea Cancro applicata à mordente sanie penitùs exesa (*b*) non secùs ac si aquâ forti tacta fuissent vidit D. Van-Swie-

---

(*a*) Ledran Traité des opérations, chap. du Cancer, pag. 378.
(*b*) Gerard Van-Svvieten commentar. in aphorism. Boerhaav. n°. 499.

ten. Medico, qui uxorem Cancro exulcerato defunctam habuerat, fetidissimus cancrosus odor in naribus mansit quo tandèm confectus obiit. Humorem è Cancro depromptum Chirurgus degustavit, sapor humoris acerrimi tàm obstinatè linguæ inhæsit ut præ nauseâ invincibili in cachexiam tabidam inciderit Chirurgus ille & defunctus fuerit (*a*). Nicolaus Tulpius dùm Medicinam faceret apud vetustam matronam quæ à longo tempore Cancrum mammarum ulceratum patiebatur, vapore illius Carcinomatis in syncopen projectus fuit & palatum exulceratum habuit : ancilla quæ eidem ægrotanti inserviebat maligno vapore ità fuit inquinata ut ipsi in utrâque mammâ & sub axillis sordida & cancrosa ulcera advenerint (*b*) : unde propriâ experientiâ suffultus Tulpius

(*a*) Gualt. Harris-Anglus observ. de morb. gravior.

(*b*) Ex observ. Nicol. Tulpii. Vide, *De la Médecine éfficace, tom. 4. pag. 38.*

cancrosa ulcera contagiosa esse affirmabat.

Nulla est pars corporis tùm interna tùm externa ubì non enascantur Carcinomata; nullibì verò frequentiùs quàm in locis glandulosis. A Cancris exterioribus afficiuntur præsertìm mammæ, labia, nares, oculi, aures, axillæ, inguina, uterus. Cancer faciei attingens labra, nares, oculos, mentum, dicitur *noli me tangere*: cave nè confundatur cum herpete exedente. Ulcus cancrosum ad inferiora & præsertìm ad crura positum celerrimè carnes depascens, *Lupus* denominatur. In ipsâmet cerebri substantiâ, Cancri fuerunt observati (*a*). Mulieres frequentiùs quàm viri, ætas senilis sæpiùs quàm juvenilis Cancris infestantur.

Sedulò distinguenda sunt varia Carcinomatum genera & ratione signorum morbificorum & ratione causæ produ-

---

(*a*) De Tumoribus cancrosis cerebri vide Ephemerid. German. Sepulchret. Bonet. &c....

centis & foventis. 1°. Fiunt Cancri *ſimplices* qui modò ab accidenti externo promanant utì à corporibus duris partes glanduloſas fortiùs confricantibus, comprimentibus; ab intempeſtivè applicatis cauſticis, ſuppurativis, reſolventibus, emollientibus: modò à cauſis internis quibuſcumque lympham ſpiſſam & acrem deponentibus intrà glandularum aut vaſculorum ſecretoriorum ſtrictiores anfractus: modò deniquè à retentis materiebus excretioni dicatis, à repercuſſis herpetibus, à pravo victu ſpiſſiores & acres humores generante, à mœrore aliiſque triſtibus animi affectibus quorum tanta eſt aptitudo ad depravandam ſolidorum fluidorumque noſtrorum œconomiam. 2°. Fiunt Cancri *complicati* qui nùnc ſcrophuloſi, nùnc venerei, aliquandò cacochymici & cachectici dici merentur. Si abſquè cauſâ externâ & evidenti Cancer adveniat homini cujus in familiâ viru ſcrophuloſum hereditarium eſt, Cancrum ſtrumoſum dari certò pro-

nuntiamus: Carcinomata ſtrumoſa deuteropathica locum habent dùm ſublatis ſtrumis prioribus verè cancroſi Tumores ſuccedunt. Ulcuſcula ſuperficialia, parùm cava, calloſa, contumacia, erodentia, frequenter repullulantia enaſcuntur in palato, faucibus, linguâ, gingivis, naribus, variis genitalium partibus in utroque ſexu: hæc certò proclamantur venerea ſi aliundè dignoſcatur exiſtens morbus venereus; alia ſemper ſuſpicanda ſi impurus aut dubius concubitus præceſſerit (*a*). Dùm generalis humorum & nominatìm lymphæ maſſa ſpiſſa & acris exiſtit, aut grumoſa, aut exſiccata, aut partibus heterogeneis craſſis & inſpiſſantibus inquinata, frequenter fiunt glanduloſæ obſtructiones quæ primò ſchirroſæ deìn in cancroſas facilè mutantur. Undè adeò familiaria Carcinomata apud ca-

(*a*) Aſtrucius de morbis veneréis, tom. 1. pag. 142. & 305.

cochymicos & cacheĉticos. 3°. Nùnc cutem aut adipem occupant Cancri superficiarii dicti ; nùnc intrà textum musculorum partiumque infimarum sepeliuntur profundiores. Aliquandò multiplicibus & longis radicibus implantantur & partibus adjacentibus firmiter adhærent Carcinomata : aliquandò ab omni nexu vicinorum libera existunt.

Annotandæ etiàm sunt Carcinomatum differentiæ. 1°. Ratione molis minima sunt quandòque ; talia in pudendis, naso, faucibusque nascuntur ulcuscula venerea. Cancer mammarum aliarumque partium modò in minus modò in majus volumen extenditur. Monstrosi observati sunt Cancri, ut in quâdam ancillâ cujus in crure enatus est Cancer sexaginta libras ponderans (a) : diversa hæc Cancrorum

(a) Tulpii observ. *de la Médecine efficace, tom.* 4. *pag.* 36.

moles

moles semper est in ratione composità quantitatis fluidorum in Cancro aggestorum & extensionis solidorum fluida cancrosa continentium. 2°. Ratione numeri cùm modò unicus, modò multiplex in corpore Cancer appareat. Carcinomata multiplicia vel per varias corporis partes solitariè disperguntur; vel ad eundem locum velutì confluentia sese invicem tangunt & ggeruntur.

Quid sperandum metuendumque sit le Cancris: quidque agendum in iporum therapeïâ, jàm jàm patebit dùm e Cancro mammas obsidente.

## *De Cancro mammarum.*

Frequentiùs quàm cæteræ partes coroCancro infestantur mammæ muebres (*a*). Remotè oritur ab obstruc-

(*a*) Observatis etiàm constat virorum mammis ncros accidisse; sed hoc perrarum.

tione ſchirroſâ quæ fit tùm in vaſis lymphaticis mirum in modum ſuprà pelliculas cellulares corporis adipoſi mammarum diſperſis; tùm in numeroſiſſimis glandulis racemoſis intrà ſubſtantiam mammariam diſſeminatis; tùm in ductibus lactiferis juxtà ſe invicem poſitis, velutì coarcervatis, albidiorem mammæ portionem efficientibus, confluentibus ad commune quoddam receptaculum.

Hùc reuocandæ generaliores ſchirroſarum obſtructionum cauſæ: præſertìm verò 1°. Stagnatio ſpontanea abundantioris ſpiſſiorisque materiei adipoſæ intrà cavitates ſpongioſas mammariæ ſubſtantiæ; exindè enim non ſolùm in induratum abire poteſt ipſamet adeps, ſed ipſius auctâ mole certò certius lymphaticorum cava minuuntur, undè remora lymphæ aliæque conditiones ſchirris producendis neceſſariæ; quæ obſervanda apud obeſiores mulieres. 2°. Similis ſpontanea ſtaſis lymphatici liquidi copiâ aut qualitate pec-

cantis in propriis vasis, & in corporibus glandulosis mammæ per quæ transmittitur. 3°. Spontanea remora lactis in ductibus galactophoris apud nutrices inprimìs annotanda. 4°. Vitia priùs existentia in mammarum vasis, cellulis, glandulis, ductibus, vel debilioribus quàm ut contenta fluida propellant, vel strictioribus quàm ut liquores advenientes liberè transmittant. 5°. Labes ab accidenti externo inflicta solidæ mammarum substantiæ.

Si antecedentes schirri mammarum in Cancrum commutandi causas expendamus, has advertemus plerùmque consistere in suppressis menstruis aliisque evacuationibus consuetis; in continuo mœrore animique abjectione, quæ pathemata si quid possint in machinam humanam, maximè in muliebrem: antecedentium hujus morbi causarum numero adscribi quòque merentur corporis contundentis actio valida in mammas, earumdem compressio ab indumentis strictè nimìs thoracem amplexantibus.

Quicumque mammarum ſchirri in Cancros non degenerant. Si perfecti ſint ſchirri nunquàm ſuam mutabunt naturam, mole & pondere tantùm moleſti vicinis partibus & exindè aliquandò ipſis pernicioſi: ſchirros imperfectos per numeroſiſſimorum annorum ſpatium in mammis latitaſſe abſquè ullo cancroſæ naturæ indicio teſtantur hiſtoriæ medicæ.

Schirroſum germen Carcinomatis naſcentis in mammâ nùnc exterius eſt & attingit tenuem membranam communem cuti firmiter adhærentem; nùnc profundiùs ſepelitur ſuprà craſſam & robuſtam membranam interiorem muſculo magno pectorali annexam; nùnc medium tenet, in ſubſtantiâ mammariâ glanduloſo-veſiculoſâ latitans. Modò unicus, modò plures tactu in mammâ percipiuntur ſchirri. Ii difficiliùs deteguntur ſi ad axillas accedentes ſub craſſis faſciculis fibroſis muſculi pectoralis deliteſcant.

Schirri mammarii in Cancrum abire

incipientis, Cancri confirmati ſed occulti, demùm exulcerati ſigna depromantur ex enarratis dùm de Cancris in genere. Falſâ judicatione meros mammarum ſchirros pro Carcinomatibus nè habeas; jàm jàm facta Carcinomata cum diverſis Tumoribus nè confundas. Ab aliis exactè diſtinguatur Cancer mammarum venereus tàm occultus quàm exulceratus.

Mammæ Cancrorum hic eſt habendus conceptus; hæc eſt illorum progreſſio.

Schirrus in ſubſtantiâ mammæ poſitus futuri Cancri eſt cauſa antecedens; ſuperveniens quidpiam ſivè externum ſive internum quod materiem ſchirroſam commoveat & exaſperet pro cauſâ morbi determinante ſtatui poteſt.

Itàque cauſa hæc commovens, quæcumque ſit, in motum paulò citatiorem concitat craſſum ſanguinem in vaſis ſanguiferis quibuſdam partis ſchirroſæ contentum; ſemi-inflammantur hæc vaſa & quâlibet ſui dyaſtole im-

petunt in ſubſtantiam ſchirroſam qua
ibì duriſſima ubì humores penitùs ſun
concreti , ibì minùs dura ubì datu
ſimplex lymphæ inſpiſſatio : hìnc præ
ternaturales ſuccuſſiones fibrillarun
nervearum quæ ictibus vaſorum ſemi
inflammatorum exponuntur, atquè ſub
ſequens in mammâ ſenſus aliquorun
quaſi punctorum dolorificorum.

Succeſſivè & tardiſſimè propagatu
ſanguiferorum in parte ſchirroſâ inflam
matio ; aliquantiſper adaugetur lym
phæ maximè ſpiſſæ ſed non adhùc con
cretæ motus in lymphaticis mamma
riis quæ mirum in modum cum ſangui
feris inflammatis intertexuntur. Ni
miùm diſtenta rumpuntur quædam vaſ
tùm ſanguĭnea tùm lymphatica ; & i
eâ ſchirri determinatâ parte ubì è rup
tis vaſis liquida extravaſantur , dabi
tur fomes ſeù receptaculum primigenia
materiei cancroſæ.

Nulla quidèm ex tali partis ſtatu
expectanda ſuppuratio ſed vera putre
do quæ vaſis viventibus nervisque in

egris interpoſita utrasque partes irri-
tat, undè novus adveniens irritatis va-
ſis ſtatus inflammatorius; atquè exci-
tati dolores acerbi Cancrum confirma-
tum individuè concomitantes.

Interim putrefacta materia, ſenſim & ſine ſenſu, aliquandò etiàm celeriter depaſcitur partes circumpoſitas, veſiculas adipoſas mammarias, vaſa tùm ſanguinea tùm lymphatica ſuprà membranas veſiculares repentia, glandulas intrà ſchirri ſubſtantiam interſperſas, ductus lactiferos, uno verbo ſolida quæcumque putrilaginoſæ novi Cancri materiei obvia: hìnc deſtructio ſolidorum, fluidorum extravaſationes, putredo adaucta.

Si minores ſint acrimonia & cauſticitas hujus materiei cancroſæ facilè per tempus longiſſimum tolerabitur occultus Cancer: & è contrà brevi in exulceratum abibit propter majorem acrimoniæ & cauſticitatis gradum. Dùm ad certam ſævitiem pervenit Carcinoma, ſæpè emittit undiquè radices qui-

bus firmiter implantatur diverſis partibus: aliquandò nullæ radices emittuntur. Hìnc diſtinctio Cancrorum in adhærentes & mobiles.

Porrò creſcit moles mammæ Cancro occulto affectæ; vaſa cutanea comprimuntur, difficilior fit per venas ſanguinis reditus, eæ tument, varicoſæ apparent, nùnc lividæ, nùnc atræ pro diverſâ alteratione contenti ſanguinis.

Non raro tùnc temporis ichoroſus humor per papillam aut ex areolâ tranſudat (a) cujus tranſudationis ceſſatio ſubſequentia habet ſubitanea magnaque Cancri incrementa. Id non levi attentione dignum ſymptoma deſignat vel fomitem ſucci cancroſi eſſe in hâc mammæ maſſâ albidâ quæ concurſu ductuum galactophororum efformatur; vel ſaltèm eos ductus non ſecùs ac glandulas ſebaceas areolæ communicatio-

(a) Ledran. oper. chap. du Cancer pag. 385.

nem

nem habere cum vasis lymphaticis mammæ ichorem ex receptaculo cancroso haurientibus.

Non solùm ad interiora sed etiàm ad exteriora de die in diem proserpens seminium cancrosum ad cutem pervenit cujus excoriationem suscitat unà cum stillatione ichoris tenuis & acris. Tandèm velutì divulsa rumpuntur tegumenta Cancro superposita, tùnc dehiscit ulcus horrendum cum signis alibì notatis.

Lipothymiæ, febris lentæ, marasmi & aliorum symptomatum quæ Cancrum inveteratum concomitantur, ratio petenda est ab admixtione materiei cancrosæ cum massâ sanguineâ.

Juxtà diversas circumstantias varia eruuntur Carcinomatum tùm mammas tùm alias quascumque partes obsidentium prognostica.

Cancer confirmatus positus in iis partibus quas ferrum exscindens non potest aut non debet attingere, incurabilis est. Pessimum signum si plures si-

mùl Cancri in corpore appareant; aut, ſi uno extirpato, alibì ſchirrus renaſcatur in Cancrum brevi mutandus. Maximè periculoſum magna vaſa Cancris eſſe vicina aut adhærentia; tùnc enìm ferè ſemper contraindicatur operatio, etiàmſi aliquotiès à peritis Chirurgis feliciter inſtituta fuerit.

Mala eſt Cancrorum adhæſio partibus oſſeis, utì dùm Cancer mammarum adhæret coſtis & ſterno. Quò plures & longiores emiſit radices Carcinoma eò magìs fixum & immobile apparet. Exitialis Cancer mammarum qui comites habet ſchirros aut Cancros ſub axillis poſitos, præſertìm ſi Tumores illi ſubaxillares non vacillent; periculoſiſſima ſemper horumce Tumorum exſciſio. Sæpè complicatur uteri Carcinoma cum Cancro mammario: quod ſuſpicandum à retentis menſtruis aut à dolore ad uteri regionem: quod certiſſimum fit per effluxum ſaniei è vaginâ, dùm ſimùl exiſtit Cancer mammarius.

Carcinomata hereditaria nullâ arte

curari poſſunt ; non ſecùs ac Cancri efformati in corporibus cacochymicis, cachecticis, ſtrumoſâ labe infectis. In genere infauſta ſemper præſagi debent à Cancris vitio generali productis ; à nimìs inveteratis ; à mole ingenti præditis. Cancer venereus frictiones mercuriales abſolutâ neceſſitate expetit quibus aliquandò ſanatur Cancer aut ſaltèm iis deſtructo viru venereo felicior eſt ſubſequentis operationis eventus.

Benè ſperandum dùm præceps fertur auxilium Cancris incipientibus, ab accidenti externo ortis, nullum ſignum operationem contraindicans præ ſe ferentibus.

Complicatio œdematis cum Schirro Cancrum ſæpè accerſit molliori factâ ſchirrosâ materie. Schirrus phlegmonodæus ſi nequè in perfectum abeat, nec reſolvatur, nec ſuppuret, cancroſus fit.

Emollientibus medicamentis Tumores cancroſi exacerbantur utì millenis obſervatis conſtat. Diffidendum etiàm ab applicatis reſolventibus, repercutien-

tibus, acribus quibuſcumquè. *Quibu Cancri occulti naſcuntur, non curari præſ tat: curati enìm ſubitò intereunt; non cu rati diutiùs vivunt.* (Hippocrat. aphor 38. lib. 6.)

Rariſſimi ſunt caſus huic ſimiles quem obſervavit D. Ledran. Vidit nempè magnum carcinoma mammarium quoc gangrænâ ſupervenienti abſquè arti ope integrè eradicatum & à pector ſeparatum fuit (*a*).

Carcinoma quodcumque vel incura bile eſt, vel curabile, vel dubium i eventu.

1°. Cancer tùm occultus tùm exul ceratus quem incurabilem novimus e præcognitis labe hereditariâ, vitio ge nerali humorum, Tumoris vetuſtate, n miâ mole, hujus cum magnis vaſis adhæ rentiâ, aliiſque circumſtantiis, opera tionem reſpuit utpotè curationi radica li inſufficientem. Sola igitur tùnc lo

(*a*) Ledran, Traité des operations, pag. 399.

cum habet palliatio.

Si incurabile Carcinoma occultum ſit, neglectis remediis externis quibus Tumor exaſperatur & ad ulcerationem adducitur, omnis cura palliativa verſatur circà remedia interna. Hæc deducuntur ex lenientibus, diluentibus, leviſſimè aperitivis, lacticiniis præſertìm quibus præſtantiùs nihìl ad edulcorandos humores eorumque acrimoniam obtundendam. Hîc etiàm locum obtinent ea remedia quæ abſorbente virtute ſunt prædita. Opiata ſummi ſunt uſûs ad quietem ægro conciliandam doloresque compeſcendos. Mitia cathartica non negligantur, ſed cautè & prudenter debent adminiſtrari.

Si exulceratum ſit Carcinoma topicis utendum anodinis obſtupefacientibus variâ ſub formâ præſcribendis. Plurima prædicantur hujuſce modi topica inter quæ plerùmque cæteris præferri merentur præparationes plumbi in epiſtolâ D. Goulard jàm citatâ deſcriptæ; putredinem arcentia conveniunt

ulceri cancroſo quod ſæpè ſæpiùs deterſivis anodinis mundandum eſt.

2°. Quotiès Cancer recens erit, à cauſâ externâ productus in corpore benè conſtituto, abſquè adhærentiâ notabili, & apto loco ſitus, ſine morâ extirpandus eſt nè propagato cancroſæ materiei ſeminio morbus fiat incurabilis: in vanum remediorum tàm internorum quàm externorum ope tentaretur Cancri confirmati curatio. Itàque de inſtituendâ extirpatione ſi quæſtio ſit, ſtatìm exacta habeatur præparationum ratio in venæ ſectionibus, mitiori cathartico, medicamentis lenientibus ac ſanguinem diluentibus; atquè ſi vires deficiant, reſtaurantibus: deìn juxtà optimas artis regulas exſcinditur Cancer, attendendo nè quidpiam cancroſi in loco ſuperſit; exindè enìm brevi repullularet Tumor cancroſus malignior priori. Factâ extirpatione præſcribatur diæta tenuis, nequè omittantur remedia quæ poſt graves operationes chirurgicas ſolent adhiberi.

Cæterùm extirpatio meliùs ſuccedit in Cancro occulto quàm in exulcerato etiàmſi iſte præ ſe ferat conditiones inſtituendæ operationi requiſitas.

3°. Sæpè de naſcentium Cancrorum eventu ancipites artis magiſtri dubitant nùm extirpari debeat Tumor, nec-nè. Impoſſibile prorsùs eſt certas circà hoc in ſcriptis regulas tradere, cùm judicatio in hâc re pendeat à millenis circumſtantiis ſolo clinico obviis & ab inſtanti ad inſtans mutabilibus.

Aliqui ſuffulti pluribus hiſtoriis medicis quibus conſtat abſquè notabili malo Cancros in corpore diù hæſiſſe, operationem damnant.

Alii indiſcriminatìm, quoſcumque Tumores cancroſos extirpandos eſſe præcipiti judicio pronuntiant.

Vitandum extremum utrumque. 1°. Si ſenior ſit ægrotans, debilioris temperamenti, & recidiva æquo jure timeatur, rejici debet operatio. 2°. Si Cancer ſit in corpore juvenili benè valente, nequè timeatur morbi reditus

absquè ullâ remorâ ad extirpationem recurrendum nè qui priùs curabilis brevi incurabilis fiat morbus.

v. sur la nature de l'air fixe.

### *De Emphysemate.*

Emphysema generali significatione sumptum audit tumefactionem à flatibus in variâ corporis cavitate collectis si in cavo intestinali coacerventur Tympanitis; si in scroto, Pneumatocele; si in sacco herniali umbilici, Pneumatomphalos nuncupatur; & sic de variis partibus in quibus flatus colliguntur.

*Emphysema* verò propriè dictum, de quo hîc, *Tumor flatulentus*, *apostema ventosum*, gallicè *Emphysème*, est Tumor cuti concolor, valdè elasticus, compressus nempè citò sese restituens, dùm percutitur edens murmur quoddam.

Statuendæ quædam sunt in Emphysematibus differentiæ.

1°. Totius habitûs corporis intumescenti

neſcentia à flatibus Emphyſema *uni-verſale* conſtituit. Inſigne talis Emphyſematis exemplum Monſpelii vidimus in Milite quem vino ſepultum maevoli facto vulnere in inguine follibus nhumaniter inſufflarunt, ità ut, miſer ille à collo ad calces uſquè Emphyſematoſus factus fuerit: poſt crudelem hanc operationem ſibimet derelictus fuit, ſenſuumque adhùc compos præ ſuffocationis imminentis periculo ad partem anteriorem colli forficibus ſectionem inſtituit; undè flatibus vias aëreas comprimentibus exitus liber. Ad noſocomium fuit delatus ubì per plures ſcarificationes & per remedia convenientia intrà quindecim circiter dies curatus eſt ſummâ omnium obſtupefactione.

Emphyſema *particulare* huic aut illi ndiſcriminatìm corporis parti inſidet, frequentiùs verò palpebris: & hanc ſpeciem particularis Emphyſematis præſertìm reſpicit Tumor quem deſcribimus.

palpebrarum [1] umbilici [2] Scroti [3] et articulorum [4]
1 pneumato blepharon
2 pneumtomphalon
3 pneumatocele

2°. *Indolens* exiſtit ut plurimùm Emphyſema : interdùm dolet acutiſſimè (*a*); quo in caſu minùs facilè cedit digito prementi.

3°. Modò & ſæpiùs *fixa* ſunt Emphyſemata in locis ubì ſedem poſuêre; modò tamen à parte in partem *oberrant* redeuntia per periodos ; hæc ultima ſpecies *flatus furioſus* vel *ambul*[...] fuit nuncupata (*b*).

4°. Si abſquè ullo præexiſtente morbo Emphyſemata fiant in parte quâ[...]piam à flatibus ibì permanentibus *idiopathica* ſunt : fiunt Emphyſemata *ſympathica* à morbo antecedente, præſertìm à vulneribus thoracem penetrantibus, à coſtarum fracturis, &c....

Emphyſema quodcumque ſedem ha[...]

---

(*a*) Legatur obſervatio Emphyſematis quod ad[...] acutos dolores excitabat, ut noctu diuque ægrotan[...] vexaretur incidens præ dolore in ſyncopen.... *De l*[...] *Médecine efficace, tom. 4. pag. 173.*

(*b*) Deſcriptio hujus Emphyſematis periodici re[...]peritur in prax. chirurg. ſpecial. Joannis Michaëlis.

pet in textu cellulari adipoſo ſubcutaneo, hîc craſſiori, ibì tenuiori, ubìque fabrefacto cellulis membranaceis inter ſe communicantibus.

In iis cellulis dilatatis velutì in ſpongioſo corpore aër Emphyſema producens includitur. Facilè concipitur quomodò aër externus per vulneris aperturam in textum cellularem intromittatur: nullumque dubium eſt quìn etiàm internus aër thoracicus trans plevram dilaceratam in textum cellularem ſeſe inſinuet, undè trans muſculos intercoſtales ad ſuperpoſitam adipem pervenit.

Major autem eſt difficultas in explicandâ collectione aëris in Emphyſemate idiopathico. An per poros vaſorum ſanguiferorum exeunt partes aëris elementares in ipſomet ſanguine contentæ, coadunantur in textu cellulari ubì propriâ vi elaſticâ diſtendunt & in Tumorem attollunt ſolida continentia? An priùs in humoribus textûs cellularis coercita elementa aërea

calore loci aliâvè causâ extrahuntu
& acquirunt essentiales dotes aëri
communis? Oriri hunc aërem, cun
quibusdam Authoribus autumamus
ex motu putrefactorio materiei oleo
sæ cellularum adiposarum. Quo mo
tu extricatur aër elasticus qui à cel
lulâ in cellulam transcurrit, has dila
tat & ampliores reddit, undè Em
physema.

Ergò quæcumque motum putrefac
torium valent concitare in succ
oleoso textûs cellularis subcutanei
inter causas Emphysematis antece
dentes recensenda. Evidentes quiden
sunt eæ causæ putrefactoriæ in loc
gangrænâ affecto cui phlyctænæ em
physematosæ succrescunt: minùs ev
dentes in aliis plerisque casibus.

Quò major est quantitas majorqu
expansio aëris collecti in datâ portio
ne textûs cellularis eò major moles
tensio Emphysematis: & vice versâ
Hinc eruendæ diversitates Ephysema
tis mollioris aut magis renitentis; ma

gis aut minùs elevati ; indolentis aut dolorifici. Difficiliùs explicatur Emphysema mutabile & oberrans à partibus in partes quas periodicè afficit. Iſtud obſervetur quoad Emphyſemata extremitatibus corporis ſupervenientia, numquàm verè emphyſematoſas fieri plantas pedum manuumque palmas : nonnè ob rigiditatem nimiamque renitentiam membranularum tùm textûs cellularis aut adipoſi tùm tegumentorum ſuperpoſitorum quæ compreſſiones fermè continuas à corporibus duris patiuntur ?

Curandum Emphyſema vel eſt particulare vel univerſale.

*Primò.* Solis remediis externis plerùmque curatur Emphyſema particulare. Si ſit ſymptoma vulneris cujuſdam, ſæpè ſufficit vulnus dilatari ad hoc ut Tumor emphyſematoſus evaneſcat. Si Emphyſema idiopathicum ſit , applicanda ſunt topica carminativa. Probè diſtinguatur an molles & relaxatæ, an ſiccæ & tenſæ ſint fibræ in Em-

physemate: exindè enìm variare debet topicorum electio. Dùm invitis topicis Tumor persistit obstinatè, is perforabitur veruculo triangulari cujus ope flatus exibunt.

*Secundò*. Emphysema universale exigit tùm interna tùm externa remedia. Statìm plures instituantur in variis partibus scarificationes; deìn carminativa & resolventia topica adhibeantur; remedia interna præscribantur flatus discutientia, viscidosque attenuantia humores à quibus ut plurimùm oriuntur flatulentiæ.

*Tertiò*. Insuper cùm calor sanguinis nimius concurrat persæpè ad producenda Emphysemata, ideò tùm ad Emphysema universale tùm ad particulare convenit venæ sectio plùs vel minùs repetita. Cave tamèn nè sanguinem mitti jubeas in casibus Emphysematum vel œdematosorum vel ad œdema vergentium; & in aliis ubì directè contraindicatur venæ sectio. Liberaliter è contrà mittatur sanguis

dùm Emphysemati adjuncta est inflammatio.

## *De Bronchocele.*

*Bronchocele*, gallicè *Goüetre* tot diversis nominibus apud Antiquos insignitur, ut magna exindè oriatur ipsorum in scriptis obscuritas. Definiendus est Tumor positus ad anteriora colli, magnâ ut plurimùm mole præditus, aliquandò mollis, sæpiùs durus.

Genuinam sedem habet Bronchocele in glandulâ thyroïdeâ ad anteriorem laryngis convexitatem positâ, duabus portionibus lateralibus oblongis æqualibus invicèm unitis efformatâ, textu satìs denso donatâ. Sedet etiàm quandòque in glandulis vicinis.

Varias Bronchoceles species statui voluunt pro diversitate materiei inclusæ. Illa aliquandò reperta fuit aquosa aut etiàm merè flatulenta (*Albucasis*); modò gelatinæ, melli, adipi, pulti similis est; modò humore purulento scatet Bronchoceles cavitas (*Boneti se-*

*pulchret.*); grumi ſanguinei aliquotiè in eâ latitant (*Langius*); tandèm in maſſam quamdam carnoſam notabi lem excreſcens glandula thyroïde Bronchocelen etiàm facit. Ergò ali eſt Bronchocele quæ ad excreſcentias alia quæ ad Tumores humorales at tinet.

Eadem ſemper eſt Bronchocelon qua rumcumque cauſa proxima, ſcilicè humorum congeſtorum in cavitati bus glandulæ thyroïdeæ aut glan dularum vicinarum vis multò majo quàm eſt renitentia tùm membrana rum interna glandulæ cava efforman tium, tùm membranæ exteriùs inveſ tientis affectam glandulam. Quâ da tâ cauſâ, ultrà terminos naturale multùm progredietur hæc glandula laxa plurimùmque extenſibilia coll tegumenta exteriùs propellentur pe adauctam tumefactæ glandulæ molem Ex ſcriptis mihi communicatis conſtat Bronchocelen viſam fuiſſe uſquè ad um bilicum propendere.

Cauſa

Causæ Bronchoceles antecedentes & procatharticæ diversæ sunt prout varias producunt illius Tumoris species. (*Consulantur quæ dicta sunt de obstructionibus glandulosis*).

Sedem etiàm ponit sed rariùs Bronchocele in glandulâ thymus dictâ cujus pars superior extrà pectoris cavum extenditur. Inter varias hujusce Tumoris causas annumeretur congestio albæ & velutì lacteæ materiei quàm in fœtuum thymis detexit Morgagnius.

Cur endemia sit in subalpinis regionibus Bronchocele meritò deduci videtur ex aquâ frigidâ quam regionum illarum incolæ copiosè bibunt, glaciem aquæ immiscentes utì mos est in calidioribus regionibus. Nonnè ad Bronchocelen aliquandò referri possunt frequentes tumefactiones glandulæ thyroïdeæ apud Boïos quorum regio innumeras habet aquarum vivarum scaturigines? (*Vide caput de Scrophulis*).

Nosco mulierem cui Bronchocele

ſupervenit ex nixibus quos parturien do edidit. Perperam cum ſtrumis glan dularum colli anteriorum confunditu Bronchocele: toto cœlo diverſum e iſtud duplex Tumoris genus, etiàm eandem partem teneat. Frequentiù mulieribus quàm viris Bronchocele evenire creditur.

Bronchocele incipiens aliquand curari poteſt bonâ victûs ratione medicamentis internis reſolventibu topicisque diſcutientibus. Plerùmqu incurabilis eſt ille Tumor dùm a certam pervenit molem. Conſtante eadem permanet efformata Bron chocele carnoſa quæ abſquè ullo pe riculo toto vitæ decurſu exiſtit, pon dere & mole tantùm moleſta. Aqu aut flatus in hoc Tumore content poſſunt extrahi per punctionem factar cum veruculo triangulari. Bronchocel ſi tunicata ſit, nempè incluſa propri kyſti, abſolutè poteſt extrahi opera tione; ſed attendatur nè vas majus au nervus implicentur.

## *De Ecchymosi.*

Inter maculas potiùs quàm inter Tumores propriè dictos recenseri meretur *Ecchymosis* seù *Ecchymoma*, latinè *Sugillatio*, gallicè *Echimose*, *Meurtrissûre.*

Morbus ille atro-rubrum statìm præ se fert colorem qui dilutior in dies evadit, prout sensim & sine sensu discutitur Ecchymosis materia. Effusio sanguinis in textu partium sub cute positarum est causa proxima & continens Ecchymomatis. Prædictæ effusioni ansam præbent externa accidentia ut 1°. Contundentis corporis actio quâ velutì per attritionem hùc & illùc rumpuntur vascula quædam sanguifera. 2°. Vulnus corpori obliquè inflictum, & non raró operatio phlebotomiæ; dùm sanguis è plagâ profluens partìm imbibitur à cellulis adiposis. Nisi multùm impropriè Ecchymomata nuncupantur maculæ quædam in

morbis quibuſdam tùm acutis tùr
chronicis & frequentiſſimè in ſcorbu
to apparentes ad corporis ſuperficiem

Etiàmſi Ecchymoſis morbus ſit i
ſe levis admodùm, cavendum tame
nè gravis fiat tùm ob ipſius complica
tionem cum læſis partibus vicinis va
culoſis, membranaceis, tendineis, o
ſeis; tùm ob magnam quantitem ſan
guinis effuſi diſcuſſioni inhabilis au
in textu partium putreſcentis.

Abſquè remediorum apparatu cura
tur levis Ecchymoſis: aqua frigida
aqua Reginæ Hungariæ, aut Spiritu
vini ſæpè totum opus abſolvunt. Gra
viorum & complicatorum Ecchymo
matum varia ſymptomata indicabun
diverſam curandi methodum.

*Pauciſſima proferuntur circà theorian quorumdam Exanthematum au Efflorefcentiarum.*

Humores quicumque circulatorii

ſecretorii, excretorii, qui ad colatorium cutaneum appellunt diverſorum exanthematum materiem ſuppeditant. Hæc materia, pro diverſâ exanthematum indole, exiſtit ſanguinea, lymphatica, ſudorifica, tranſpiratoria, ſebacea, adipoſa, aquea, flatuoſa, ichoroſa, ſanioſa, purulenta, & tandem ex pluribus compoſita.

Exanthematum alia ſunt acuminata elatioraque; alia magìs ſunt depreſſa: alia diſtincta ſunt & ſeparata; alia confluunt & velutì aggeries efformant: alia rubra, alba, aut pellucida, ſanguinis, lymphæ, ſeri aut puris colores præ ſe ferunt; alia diverſis aliis coloribus inſignita depravationem liquidi ſtagnantis déſignant: alia citò erumpunt; alia lentè prodeunt: alia corporibus de cætero ſanis adveniunt; alia morbos magìs minùsve graves comitantur, antecedunt, ſubſequuntur.

Exanthemata quorum cauſæ antecedentes & remotæ adeò diverſæ ſunt eamdem conſtanter obtinent cauſam

proximam, actionem ſcilicèt fluidorum contentorum majorem quàm eſt renitentia ſolidorum continentium. Quæ cauſa locum obtinet & verè ſufficiens eſt ſivè in propriis vaſis fluidum retineatur, ſivè extrà ea fuerit effuſum.

Quælibet exanthemata vel exiſtunt per ſe primariò; vel morbos priores ſub titulo ſymptomatum comitantur; vel etiàm morbis qui evanuêre ſuccedunt. De iis breviter agendum.

### *De Herpete.*

*Herpes*, gallicè *Dartre* eſt exanthema pallido-rubrum, parùm elevatum, puſtuloſum, pruriginoſum.

....*Species*....Herpes ſimpliciſſimus, aſper, farinoſus, ſine papulis, rubri coloris variegati. Herpes miliaris, conflatus puſtulis granis milii non majoribus. Herpes ulceratus, exedens, eſthiomenos, multùm ſerpit & obſtinatè. Herpes occupans eam corporis regionem

ad quam cingulum ponitur, ideòque cingulum vel zona dictus; hujus speciei Herpetis eruptionem antecedunt molestissimi dolores pruriginosi ad hypochondria, dein assurgunt papulæ rubræ nùnc corpus velutì cingentes, nùnc ab umbilico ad genua usquè dissseminatæ, brevi albescunt eæ papulæ quarum quælibet escharam habet, delapsâ è papulis escharâ totidèm remanent ulcuscula ( *Tulpii observ.* ). Herpes infantibus puerisque familiaris spontè evanescit in adultâ ætate. Herpes venereus tùm miliaris tùm ulceratus, plerùmque callosus. Herpes virûs scorbutici soboles, pustulis rubris, lividis, aut flavis scatens. Herpes particularis tùm idiopathicus tùm sympathicus huic aut illi parti insidens. Herpes universalis omnem ferè occupat cutem, sæpissimè totâ epidermide successivè corpus desquamatur in hâc ultimâ Herpetis specie.

....*Sedes* Herpetum est in texturâ cutis, nominatìm verò in ipsiûs glandulis.

.... *Materia* Herpetum consistit in viscidiusculis acribusque humoribus glandulas cutaneas obstruentibus. Stagnantes illi humores majorem acrimoniam & spissitudinem contrahunt; undè dolores maximè permolesti, vasculorum ruptiones & generatio puris usquè ad partes carneas serpentis non rarò. A diversitate regionis quam occupat ille Tumor & à varietate symptomatum, diversæ eruuntur Herpetum species.

Cavendum nè intropulsa Herpetum materia inflammationes internas, viscerum gangrænam, aliaque morbifica symptomata accersat. Quod sæpè fieri millenis comprobatur observationibus medicis.

## De Scabie.

*Psora* Græcis, *Scabies* Latinis, gallicè *Gale*, morbus vulgatissimus cognoscitur eruptione pustularum valdè prurientium, contagiosarum, hìnc & indè

indè ad corporis ſuperficiem, præſertìm & ferè ſemper primariò inter digitos poſitarum.

...*Species*... Scabies ſicca in quâ puſtulæ exiliſſimæ ſunt numeroſiſſimæque, nihìl aut parùm ichoroſi liquidi fundentes. Scabies humida majoribus prædita puſtulis è quibus pus ſaniesque fluunt. Scabies chronica quæ per plurium annorum ſpatium continuò affligit. Scabies intermittens erratica qualis obſervatur in ſubjectis quibuſdam evaneſcere per quoddam tempus, mox levi datâ cauſâ recurrere. Scabies intermittens periodica certis anni temporibus conſtanter revertens. Scabies convaleſcentium quæ poſt morbos quoſdam diuturnos erumpit. Scabies puerulis familiaris quâ ſæpè alii morbi prævertuntur, aut facti curantur (*Celſus*). Scabies critica quâ puellæ quædàm laborant uſquequò fluentibus menſtruis ab eâ liberentur. Scabies demùm venerea.

Quæ diverſæ ſpecies Scabiei, &

aliæ, si quæ sint, vel idiopathicæ sunt vel sympathicæ; nùnc exurgunt à vitio constitutionis subjecti, nùnc fiunt à lue è corpore scabioso ad corpus sanum transmissâ.

.... *Materies* Scabiei efformatur verosimiliter liquidis grumosis simùl & acribus colatorium cutaneum obstruentibus. Horum liquidorum quædam partes volatilissimæ è corpore scabioso exhalantes & corporis cujusdam sani superficiem attingentes subeunt poros epidermidis, miscentur cum humoribus vasorum absorbentium, hæc liquida labe scabiosâ contaminant: Undè transmissio contagiosa. Efformata in corpore, absquè ullâ communicatâ labe, Scabiei materia morbum hunc etiàm ponit.

Ex cognitis Scabiei indole, causis, signis, progressibus, quid de morbo sperandum sit aut metuendum concluditur.

Sulphurea præstantissimi sunt usûs in Scabie.

## *De Impetigine.*

*Impetigo* in tres finditur ſpecies quarum prima benigna eſt; altera gravior; tertia maligna admodùm exiſtit.

*Primò.* Impetigo benigna eſt affectus cutaneus ad ſcabiem ſiccam multùm accedens; licèt inter digitos primariò non oriatur, ut in ſcabie ſolemne eſt. Benignæ Impetiginis præludia ſunt ſenſus pruriginoſus in cute; illius nativi coloris in rubrum hìc & illìc mutatio. Quibus prægreſſis apparet Impetigo quæ inſignitur puſtulis ſiccis, confluentibus, acriter prurientibus, in ſquamas & furfures abeuntibus; nullum effundentibus humorem nec purulentum, nec ſanioſum, nec ichoroſum.

Quandòque membra ſingularia infeſtat Impetigo ſalvo reliquo corporis habitu: plerùmque per totam corporis ſuperficiem diſpergitur.

Si ad mitiorem indolem tendant

hujus Impetiginis tubercula, morbus tùnc ſcabiei fit ſimilior: ſi ad ferociorem naturam accedant, Lepra conſtituitur.

*Secundò.* Impetigo gravior ſeu *Lepra Græcorum* puſtulas habet majores quàm in ſcabie; numeroſiſſimas in cruribus brachiis & facie atquè etiàm ad alia cutis loca erumpentes; obſcurè rubentes mox lividas; ſquamulis donatas post deſquamationem emittentes ichorem acerrimum & tenuem; tandèm rursùs exſiccatas cruſtisque duris ſeſe cooperientes.

Non velutì puſtulæ ſcabiei ſolitari ſuprà cutem diſponuntur tubercula hæ leproſa, ſed quaſi conglobatìm erumpunt & per aggeries.

*Tertiò.* Impetigo maligna, *Lepr Arabum* aut *Elephantiaſis* òb numeroſiorum ſymptomatum catervam diffici lè definitur.

Hujus ſigna ſunt epullulatio puſtularum contagioſarum, confluentium ſquamöſarum, durarum, indolentium

rubro-lividarum, dùm exulcerantur ſaniem fetidam emittentium. Præter hæc tubercula, defœdatur cutis fiſſuris quibuſdam, & maculis lividis quæ ad ſpeciem *vitiliginis* ſpectant.

Porrò cùm intacta non ſint interiora organa in Elephantiaſi, doloribus capitis quibus divexatur æger ſuccedunt moroſis & triſtitia; urinæ turbidæ ſunt quales Jumentorum; reſpiratio difficilis; pulſus parvus & inæqualis eſt; anhælatio fœtet. Hæc autem accidunt morbi initio, dùm ſcilìcet cutis tantummodò aſpera eſt, ſcabra, rugoſa, livida.

Progrediente morbo horrenda viſu ægrotantis eſt facies tùm à livido ipſius colore tùm à puſtulis quibus deturpatur; labra tumida velutì propendent; puſtulæ ulceraque narium cavitates opplent; vox rauca & clangoſa eſt; defluunt capilli; os, palatum, fauces, radix linguæ tuberculis flavis aut ſublividis obſidentur; pedes manuſque multùm prætumidi ſunt.

Tandèm auctâ morbi ſævitie, ulce ra cacoëthea ulteriùs atquè ulteriù ſerpunt partes miſerè depaſcentes fe tidiſſimumque odorem ſpargentes.

Prædictæ Impetiginis ſpecies grad tantummodò differunt. Gradus diver ſos determinat major aut minor mate riei Impetiginis malignitas. Quis au tèm auſit præcisè aſſignare morboſa craſim & conſtitutionem humorur Lepras efformantium ? Quid ad rer elucidandam adeò decantata apu Antiquos inordinata mixtio ſaliur fixorum & volatilium cum impuris ſu phuribus ? Conſequentias eliciendo a iis ſymptomatibus quæ in ſenſus in currunt id tantùm certò ſcitur lym pham aliosque humores colatorium cu taneum obſtruentes in Lepris peccar 1°. Spiſſitudine, undè obſtructio. 2° Acrimoniâ inſigni huicque morbo pro priâ quâ ſuperficies corporis corrodi tur.

Senes vino liberaliùs indulgente Elephantiaſis quandòque invadit ( *Ett*

*ulerus* ). Nùnc à parentibus tranſmit-
itur leproſa lues ; nùnc humorum de-
ravatione ſpontaneâ generatur. Ca-
endum nè Lepra Græcorum abeat in
lephantiaſim quæ certò lethalis.

Graphicam Elephantiaſis deſcriptio-
em lege apud Aretæum.

Præter aſſignatas Impetiginis ſpe-
es annotanda venit Impetigo vene-
a ( *vide Aſtrucium* ). Imò & annume-
ri debet Impetigo ſcorbutica cujus
eſcriptionem reperies apud Auctores.
æterùm in diverſis Impetiginis ſpecie-
us judicationes methodusque curandi
uuntur ex cognitâ indole materiei
orbificæ & ex ſymptomatibus.

## *De Puſtulis.*

*Puſtulæ* ſunt parvuli Tumores ex ge-
ere exanthematum ; diverſi colores ;
el abeuntes in pus, ſaniem, icho-
m, in cruſtas & ſquamulas ; vel ex-
ccati abſquè cruſtarum & ſquamu-
rum veſtigiis.

1°. Puſtulæ *venereæ*, plerùmque ſic
cæ, aliquandò purulentæ, oriuntur i
capite, ad frontem, tempora; ala
naſi, ponè aures, ad ſcrotum & alib
Harum ſedes ſunt receptacula hum
ris unctuoſi qui à viru venereo in
piſſatus hæret in ſebaceis glandulis
remorâ acrimoniam concipit, ſolid
continentia corrodit; plerùmque ſub
ſequentibus cruſtis ſiccis, raro excit
tâ ſuppuratione.

Advertant ii quibus tractandæ lu
venereæ frequenter cura committitur
nùm feliciùs non procedat actio me
curii in ægrotantibus qui tales in ſ
perficie corporis ferunt puſtulas?

2°. Puſtulæ *varioloſæ inflammator*
tertiâ quartâve morbi die erumpunt
ſeptimâ aut octavâ in ſuppuratu
abeunt, deìn exſiccantur. Undè t
plex diverſus in iis puſtulis diſtingue
dus ſtatus inflammationis ſcilicèt, ſu
purationis & exſiccationis.

Puſtularum materiam ſuppeditat v
rus varioloſum cum humoribus p
mixtum

mixtum, ad cutem delatum ubì tùm in vaſculoſo tùm in glanduloſo ſyſtemate inflammationes excitat, quibus opus ſuppuratorium ſuccedit.

Inflammatæ puſtulæ modò lentiùs modò promptiùs erumpunt: major aut minor excitatur in iis inflammationis gradus: confluentes ſunt vel diſcretæ: majorem vel minorem molem acquirunt: tardiori, nimìs præcipiti, vel eos inter medio paſſu procedunt: parùm aut valdè rubent, vel alio pravo colore inficiuntur ut fuſco, nigro. Puſtulæ purulentæ vel fundunt bonum pus, vel ichorem.

Quæ in varioloſis puſtulis factæ obſervationes & ad prognoſim ferendam & ad curandi methodum dirigendam ſummè utiles.

3°. Puſtulæ *morbilloſæ* varioloſis multò minores ætatem infantilem plerùmque aggrediuntur: pulicum morſibus haud abſimiles ſunt; ſuprà cutem parùm elevantur, erumpunt ferè ſemper primariò in facie undè ad inferiora ſe-

ſe diffundunt : nullum emittunt humo-rem ſed exſiccantur ruptâque cuticulâ ſuperficiem corporis conſpergunt ſqua-mulis quæ deinceps decidunt.

4°. In febre miliari perſpicuæ ſunt ad collum, pectus, in digitorum interſti-tiis, & interdùm in toto corpore puſtulæ quædam à ſimilitudine cum milii ſeminibus *miliares* dictæ. Plerùm-que pullulant xâ. aut xiâ. ab initio morbi die. Subalbidæ ſunt. Nùnc oriun-tur ſolitariæ: nùnc interſperſas habent alias puſtulas rubras : undè diviſio fe-bris miliaris in ſimplicem & compoſi-tam (*David Hamilton de febre milia-ri*). Sæpè pruriunt puſtulæ miliares, præſertìm dùm rubræ ipſis permiſcen-tur circà xviiiam. vel xxiam. morbi diem exſiccantur & epidermidem cor-rugatam relinquunt. Quotiès puſtulæ miliares lenis & perennis tranſpiratio-nis auxilio ſeſe oſtendunt, aliaque fe-bris ſymptomata miteſcunt, res benè ſe habent : è contrà ſi à frigore ſuſcep-to aut ab aliâ cauſâ puſtulæ deliteſ-

cant, timenda materiei metaſtaſis ad cerebrum, morsque brevi ſubſequens.

5°. Infantum in capite & facie frequenter enaſcuntur puſtulæ albicantes quæ deinceps luteæ evadunt, & n cruſtas abeunt ichorem fundentes magno cum pruritu. Morbus hic nomen habet *Cruſtæ lacteæ*, *Achorum*, *Ignis volatici*, *Tineæ*.

6°. In partibus diverſis oris interni generantur ulcuſcula ſeù puſtulæ quæ *Aphtæ* nuncupantur. Eæ puſtulæ modò albicantes ſunt & tùnc meliores; modò fuſcæ, flavæ, lividæ, nigræ & tùnc pejores. Majori aut minori numero epullulant. Infantibus, ſenibusque frequentiores ſunt. Abſquè ullo prægreſſo aut concomitante morbo oriuntur ob humorum & nominatìm ſucci ſalivalis acrimoniam: in pluribus morbis perſpicuæ fiunt puſtulæ aphtoſæ ſympathicæ.

Sedem habent tùm in minoribus ſalivalibus glandulis labialibus, buccalibus, lingualibus, palatinis, aliisque in

ore interno poſitis: tùm in excretoriis ductibus illarum glandularum.

7°. Puſtulæ *miſcellaneæ* quæ in febribus diverſis nonnunquàm ad ſuperficiem corporis enaſcuntur. Puſtulæ illæ aliquandò criticæ, aliquandò ſymptomaticæ ſunt.

8°. Puſtulæ *eſſeræ* dictæ ſunt eruptiones cutaneæ per totum corpus diſperſæ, quaſi ab apicibus vel culicibus ubìque demorſus fuiſſet æger. Alternatìm pruriens & pungens dolor excitatur in iis puſtulis. Intrà breve tempus ſpontè evaneſcunt eſſeræ ſine ullo effuſo humore. Interdùm morbos febriles antecedunt.

9°. Puſtulæ *ſcabiei* (vide caput de ſcabie). Puſtulæ *leproſæ* (vide caput de impetigine). Puſtulæ *herpeticæ* (vide caput de herpete). Puſtulæ *epinyctideæ* (vide caput de epinyctidibus, &c

## *De Papulis.*

Papulæ, gallicè *Boutons*, quæ apud omnes fermè Pathologos cum puſtu

lis confunduntur, ab iis tamen debent diſtingui in quantum ferè ſemper reſolutione diſſipantur Papulæ, quod non evenit puſtulis quæ raró reſolvuntur, ſed ferè conſtanter ſuppuratione terminantur, vel in cruſtas abeunt aut ſquamulas.

1°. Papulæ majores ſunt parvuli Tumores rubicundi, in facie præſertìm enaſcentes, juvenibus calidoque temperamento præditis familiares, rariſſimè ſuppurantes, ſed ferè ſemper reſolutione terminati. Sæpè adveniunt iis quibus ſuppreſſa eſt quædam evacuatio ſolita, utì hemorragia narium quâ non infrequenter laborant juvenes. Perniciosa eſt quibuſdam intropulſio materiei Papularum illarum ope repercuſſivorum.

Aliquotiès eædem Papulæ alicui parti ſemèl affixæ, ibì diutiſſimè remorantur ut iis accidit qui per totum vitæ decurſum Papulas rubras gerunt ſuprà naſum.

2°. Ad Papulas minores pertinent *primò* ſudamina apud noſtrates ***Cam-***

*broul* Papulæ ſcilicèt grani milii circiter magnitudinem habentes, rubræ in ambitu, lympidæ in apice, ſenſum pruriginis in cute excitantes, pueris & juvenibus familiares, æſtate præſertìm obſervabiles, & apud eos quibus facilis eſt diaphoreſis. Majori quantitate coacervantur ad humeros, brachia, femora, & ad genitalium vicinia. *Secundò* Papulæ roſeæ, velutì veſiculares, calentes, prurientes, ſubitò accidentes, citò decedentes ut facillimè redeant, dicuntur gallicè *Porcelaine.*

## *De Phlyctænis, Bullis & Ampullis.*

Ejuſem definitionis terminis comprehendi debent *Ampullæ*, *Bullæ* & *Phlyctænæ*, quæ nihìl aliud ſunt quàm epidermidis ſuprà cutis ſuperficiem parvæ elevationes, pellucidæ ab humore aqueo, ichoroſo, flatuloſo productæ.

1°. Æſtivo tempore ſæpè per totum corporis habitum ſubitò enaſcuntur Bullulæ pellucidæ granis milii non majores, quæ brevi poſt ortum evaneſ-

cunt. Ebullitio ſanguinis aut motus ejus inteſtinus adauctus hæc producit exanthemata.

2°. Bullæ pellucidæ febriles à quibuſdam varioloſæ lymphaticæ dictæ, ſunt ſpecies Bullarum in quâdam febre auctâ productarum. Eæ Bullæ inflammatis varioloſis puſtulis majores ſunt; intrà breviſſimum tempus efformantur, & paulò poſt evaneſcunt.

3°. In eryſipelate ampullæ ſæpè excitantur continentes ſerum acre effuſum ſub epidermide. Aliquandò cutis ſuppoſita ab illo ſero corroditur undè gangrænæ periculum.

4°. Phlyctænæ nùnc ab externâ nùnc ab internâ cauſâ producuntur. Externarum Phlyctænarum exemplar ſuppeditant Bullulæ in parte ambuſtâ excitatæ: internarum verò numero adſcribuntur Phlyctænæ ad ambitum aut ſuprà diverſos Tumores calidos poſitæ: non ſecùs ac Phlyctænæ ichoroſæ, ſanioſæ, emphyſematoſæ quæ partibus gangrænâ affectis ſuperveniunt.

# SECTIO QUARTA.

## *De Tumoribus Cysticis.*

TUMORES *cystici*, *tunicati*, *folli-culosi* unum & idem sonant. Dis-tinguuntur membranis efformantibu Cystides seu folliculos fluidum quod-piam includentes. Actio quâ conge-runtur fluida intrà Cystidum follicu-lorumvè cava, nuncupatur obstrúctio cystica. De illâ nùnc paucis.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Obstructione Cysticâ.*

DUPLEX distinguenda venit Obs-tructionis cysticæ species.

*Prima* fit à collecto cruore intr

distensa

diſtenſas arteriarum venarumque tunicas, ut in *anevriſmate vero* & *varice*: à congeſtâ lymphâ in veſiculis dilatatorum vaſorum Bartholinianorum, ut in *hydatidibus* : à cumulato humore aqueo intrà expanſas membranas inveſtientes medullam ſpinalem, ut in *Spinâ Bifidâ*. Hùc etiàm bullæ, ampullæ, & phlyctænæ de quibus in Sectione tertiâ.

Hæcce primaria ſpecies Obſtructionum cyſticarum oritur aut à debiliori textu membranarum ab humoribus ſanguineis, lymphaticis, aqueis multùm diſtenſarum; aut à violentâ actione prædictorum humorum in membranas non ſatìs renitentes ut ut naturali tono præditas; aut à concurſu adauctarum virium fluidi in imminutas ſolidi reſiſtentias.

Differt hæc Obſtructio ab aliis quibuſcumque Obſtructionibus non cyſticis, quòd iſtæ conſiſtant in infarctu plurium vaſculorum alicujus partis, illa verò fiat ex congeſtione humoris

in uno majori eodemque cavo mem-
branoſo in formam Cyſtidis expanſo
*Secunda* Obſtructionis cyſticæ ſpecie
inter eas omnes Obſtructiones qua
ſiunt in humano corpore maximè tar
digrada exiſtit. Debetur congeſtion
lentiſſimæ fluidorum oleoſorum, ſeba
ceorum, aliorumvè intrà loculos quoſ
dam membranoſos.

Ii loculi ſunt vel cryptæ & lacuna
ſubcutaneæ, vel glandulæ ſebaceæ
vel & inprimìs cellulæ adipoſæ.

Ab Obſtructionibus illorum loculo
rum exurgere *Atheromata*, *Melicerides*
& *Steatomata* non tantùm firmiſſimi
rationum momentis evincitur ſed & ob
ſervatis demonſtratur. (*a*)

In punctulis incipiunt eæ obſtruc
tiones; ſenſim & ſine ſenſu creſcunt
tandemque in molem majorem, mi

(*a*) Millies evolvantur quæ in ſententiæ Malpighia
næ gratiam efflatus eſt Boërhaavius in epiſtola ana
tomicâ ad Ruyſchium.

Conſulatur & quòque Morgagnius pluribus in loci

norem, aliquotiès ingentem attolluntur folliculi obſtructum fluidum coercentes.

Obſtructionum cyſticarum quarumcumque cauſæ, phœnomena, diverſitates, eventus, ex unoquoque Tumore cyſtico ſpeciatìm conſiderato patebunt.

---

# CAPUT SECUNDUM.

## *De Spinâ Bifidâ.*

PERTRACTANDUS jàm venit Tumor recens natis adeò perniciosus, *Spina Bifida* nuncupatus. Quo fatò tùm apud veteres omninò prætermiſſa fuerit Spinæ Bifidæ hiſtoria; tùm apud quoſdam recentiores breviter adeò & negligenter tradita, planè ignoramus.

Ut ea quæ ad Spinam Bifidam ſpectant methodicè pertractentur, ſtatìm

indicabimus aliquas obſervationes fac-tas in infantibus Spinâ Bifidâ laboran-tibus: deìn ratiocinia ab experimenti[s] elicientes hujus Tumoris theoriam tràdemus.

## *Obſervationes diverſæ circà Tumore[m] qui dicitur Spina Bifida.*

### *De Spinâ Bifidâ quæ ſtatìm à nativitat[e] mortem accerſit.*

OBSERVATIO PRIMA. Mulier gra-vida cecidit ſupina in lumbos, ſed ſi-ne ullâ ſubſequente cutis contuſione Infans in lucem editus habuit in lum-bis inſignem Tumorem, quo apert[o] effluxit humor aqueus & infans mor-tuus eſt.... Inſpectio Tumoris in cada-vere docuit ſpinæ vertebras ut lacera[s] ſic à ſe invicem diſparatas eſſe, ne[c] non propagines nerveas per Tumo-rem diſperſas ( *Tulpius* ). Alia exem-pla Tumoris lumbaris vide apud Tul-pium.

*De Spinâ Bifidâ quartâ nativitatis die per mortem terminatâ.*

OBSERVATIO SECUNDA. Matrona quædam gravida alimentum quodpiam avidiſſimè appetebat, quod conceſſum parùm tamen palato arriſit: undè mœrore tædioque correpta fuit. Tandem peperit puellam extenuatam cujus in regione oſſis ſacri aderat tuberculum ad ovi anſerini magnitudinem elevatum, inæquale, aquâ & flatibus repletum. Humor aqueus per tenuem illius tuberculi membranam copiosè exſudabat; hìnc abſoluta virium imminutio & mors infantis quartâ die adveniens.... Diſſectione apparuit inter quartam & ultimam lumborum vertebram cavitas rotunda, aliquo modo ad latus dextrum vergens, hujus magnitudinis ut minimum digitum facilè exciperet, &c.... ( *Fabric. Hildanus* ).

*De Spinâ Bifidâ quam mors ſubſequuta eſt tertio ætatis menſe.*

OBSERVATIO TERTIA. Puella in lucem fuit edita cum Tumore in lumbis

poſito. Pugni magnitudinem æquabat Tumor ille, in medio velutì carneus, & de cætero pellucens adinſtar veſicæ aquâ lympidâ repletæ. De die in diem creſcebat magìsque fiebat carnoſus. Menſe tertio ægra periit motibus convulſivis correpta.... Examini anatomico ſubditus Tumor totus carneus demonſtrabitur, nè guttula remanente aquoſi humoris qui forsàn eruperat in cavum abdominis quod multùm erat tumefactum. Sub Tumore præternaturaliter hiabat columna vertebralis foramine ovum columbinum admiſſuro (*Muyſius*).

*De Spinâ Bifidâ quarto circiter ætatis menſe lethali.*

OBSERVATIO QUARTA. Mater utero gerens de ſcalis delapſa eſt ſuprà dorſum, abſquè tamen ſubſequente abortu: convenienti tempore peperit puellam quæ ſuprà vertebras lumborum Tumorem habebat magnitudine ovi, mollem, diverſicolorem, tactu cedentem velutì veſica humore reple-

ta. Tandem topicorum applicatione ruptus fuit Tumor qui materiam serosam, purulentam, fœtidam emisit. Tertiâ die convulsivis motibus agitata puella mortua est... Perscrutatâ Tumoris sede, nullus hiatus repertus est quo ad abdomen penetraretur. Duæ vertebræ lumbares desiderabantur, & in eo substantiæ osseæ defectu denudata erat spinalis medulla(*Gaspar. Bauhinus*).

*De Spinâ Bifidâ annum attingente.*

OBSERVATIO QUINTA. Ad infimam ossis sacri partem in infante Tumor erat Spinæ Bifidæ similis, qui partìm pellucidus, partìm opacus, & admodùm mollis existebat. Inter omnes Spinâ Bifidâ correptos nullum se vidisse asserit *Ruyschius* tamdiù superstitem quàm hunc. *Vivit enìm*, addit Anatomicorum Princeps, *in hunc usquè diem, annum jàm ferè agens; forsàn ob affectûs decliviorem situm* ( Ruysch. observat. anatom. 35.) Legatur & etiàm observatio trigesima quarta de Tumore lumbari in fœtu cum Spinâ Bifidâ.

*De Spinâ Bifidâ ad menſem decimum quintum protractâ.*

OBSERVATIO SEXTA. Anno 1684, Ruyſchius vidit in filiolâ cujuſdam Procuratoris Amſtelodamenſis Tumorem lumbarem minoris pugni magnitudini æquiparem, rugis refertum, cui acceſſit gangræna. Decimo quinto poſt nativitatem menſe (raro autem tamdiù vivunt, inquit Ruyſchius) humor contentus erupit & puella vitam finivit.... Perſcrutato malo ſe ſe obtulit in unicâ vertebrâ apertura tàm exigua ut vix ciceris granum admitteret. Adacto ſtilo evidentiſſimè demonſtratum eſt Tumorem hunc nihìl aliud eſſe præter expanſionem membranarum ſpinalem medullam inveſtientium, ab humoris replentis copiâ (*Ruyſchius obſervat. anat.* 36.)

*De Spinâ Bifidâ duæ obſervationes Societati Regiæ Scientiarum Monſpelienſi communicatæ anno 1750 à D. Farjon Doctore Medico Monſpeſſulano.*

OSERVATIO SEPTIMA. Menſe Januario

nuario anni 1748, uxor Agricolæ cujuſdam Monſpeliaci peperit infantem qui ab utero geſtabat Tumorem ſitum inter ultimam vertebram dorſalem & primam lumbarem. Ad circumferentiam cæruleus, in centrò ſubruber erat ille Tumor: nucem mole æquabat: ſub Tumore defectus oſſeæ ſubſtantiæ percipiebatur. Levi concuſſione fluctuationem quamdam advertere licebat. Quod autem ſedulò penſitandum, ſi comprimeretur fortiter Tumor ad partem ſuperiorem, puer ſopiebatur, & partes inferiores motum amittebant. De die in diem incrementa ſumebat Tumor; die undecimâ ſpontè in ſoporem incidit ægrotans, duodecimâ verò ruptus eſt Tumor & intrà ſemihoræ ſpatium puer obiit..... Denegata fuit libertas examinandi Tumoris in cadavere.

OBSERVATIO OCTAVA. Menſe Septembri anni 1749, natus eſt Monſpelii infans qui in utero contraxerat Tumorem inter ultimam lumborum vertebram & baſim oſſis ſacri. Parvâ

nuce non major erat Tumor, ſuperficie corrugatus, vini feculenta colore æmulans, epidermide ſpoliatus, liquorem ſenſibiliter fluctuantem includens, ſub ſe apparens habere defectum oſſeæ ſubſtantiæ.

Ab iis initiis compreſſus Tumor non poſt ſe trahebat ægri ſoporem & extremitatum inferiorum paralyſim, ut in antecedenti obſervatione.

Interim quâ proportione creſcebat Tumoris moles, delebantur rugæ illius ſuperficiariæ, ſed color primarius idem perſiſtebat.

A Medico certò lethalis judicatus infantuli ſtatus, inexpertis ferè ſanus videbatur uſquè ad ſextam à nativitate diem quâ ſpontaneus ſopor invaſit, & lactationi repugnavit æger: tùnc magna fuerunt Tumoris incrementa; ob compreſſionem ad ſuperiora Tumoris motus inferiorum deperdebatur, ſummusque ſopor ſuperveniebat, ſtimulo corporisque agitatione indigens ut diſcuteretur.

Die ſeptimâ Tumor incipit ad exteriora madefieri.

Die octavâ ſtillavit paulatìm liquor ſeroſus, ſufflavus, tingens lintea.

Die nonâ ad majorem molem pervenit Tumor, magìs diſtracta cutis diſrupta fuit & ex dehiſcente Tumore effluxit magna ſeri ſubflavi quantitas. Intrà ſemihoram circiter puer mortuus eſt.

Tàm ſedulò examinata morbi progreſſio, ulteriorem expetebat in cadavere faciendam indaginem: hæc reipsâ locum habuit.

Itàque diſſectis tegumentis & carnibus Tumorem circumambientibus, os ſacrum ab oſſibus iliis ſejunctum eſt, & ſuprà lumbarem regionem, ſerræ beneficio, diviſa fuit columna vertebralis. Quâ factâ ſeparatione, liquor ſubflavus & viſcidiuſculus viſus eſt effluere ex utrâque parte canalis ſpinalis. Similis liquor priùs ex Tumore, incautè inter diſſecandum aperto effluxerat. Flaccidior apparuit quàm in

ſtatu naturali dura mater medullam ſpinalem ambiens.

Verùm ut dilucidiùs morbi fomes introſpiceretur, carnibus omninò ſpoliata fuit pars vertebralis columnæ è corpore jàm ſeparata: mox reſectis & ablatis vertebrarum epiphiſibus ſpinalibus quarum ea quæ Tumori reſpondebat merè cartilaginoſa erat, nudis oculis advertere licuit, quantùm concurrerent membranæ medullam inveſtientes, ad efformationem Spinæ Bifidæ. Ideò ſtilo ſursùm adacto tùm inter duram & piam matrem, tùm inter piam matrem & medullam, ſenſim & ſine ſenſu perventum eſt ad cavitatem Tumoris.

Hujuſce cavitatis facies interior lævis erat, innumeris irrorata vaſis ſanguiferis, & nervoſis ramificationibus productis à notabili nervoſo faſciculo quem ad Tumorem diſtinctè emittebat medulla ſpinalis.

Tandem diſſectis membranis conſtituentibus Tumorem, luce clarius de-

monstratum est ex piâ durâque meningibus extrà canalem spinalem multùm expansis & cum cute superpositâ unitis efformatam fuisse Spinam Bifidam.

Cæterùm cerebri cerebellique substantia naturali mollior erat, atquè hîc magìs illîc minùs imbibita eodem humore qui ex canali spinali effluebat, dùm serrâ divisa fuit columna vertebralis. Ventriculi cerebri hunc humorem abundanter continebant.

## *Spinæ Bifidæ descriptio.*

Spina Bifida est Tumor cysticus inter morbos congenitos recensendus utpotè adveniens fœtubus adhùc hospitantibus in utero.

Oritur ut plurimùm in lumbis, sæpè etiàm in dorso, rarissimè ad nucham & ad partem inferiorem exteriorem ossis sacri (*a*).

(*a*) Ruysch. observ. 34. & 35.

Eadem ſemper non eſt Spinarum Bifidarum moles tùm in ipſarum principio tùm in progreſſibus. Statìm ab infantis nativitate modò ovi anſerini magnitudinem æquat Tumor ille, ſæpè nucis, raro pugni: creſcit deindè plùs vel minùs pro copiâ & viribus fluidi contenti, renitentiâ & extenſione ſolidi continentis.

Nùnc fuſcus, ſæpiùs limpidus exiſtit Tumor: nùnc partìm opacus & partìm limpidus: nùnc ſubruber in centro, & ad circuitum alterius coloris: aliquandò velutì carneus in aliquâ ſui portione apparet.

Conſtanter major eſt in centro Tumoris mollities; ità ut ibì digito premente defectus oſſeæ ſubſtantiæ ſubtùs percipi videatur, nec non quædam fluctuatio.

Quandòque ſuâ epidermide ſpoliatur Spina Bifida, aliquandò non: plerùmque initio rugas habet quæ creſcente Tumore & extenſâ cute delentur.

Spinæ Bifidæ ſignum characteriſti-

cum est Tumor mollis in lumbis recens natorum sese offerens, qui aut spontè ruptus aut arte apertus citam mortem post se trahit.

Non idem est vitæ terminus apud omnes infantes Spinâ Bifidâ laborantes, quia eodem semper passu non progreditur natura morbosa in efformando illo Tumore, ejusque percurrendis temporibus. Frequentissimè paucis post nativitatem diebus rumpitur Tumor, liquor effluit simùl cum vitâ. Hæc raró ad menses, rariùs ad annum & ultrà protenditur. Tumoris ruptio vitæque finis sunt duo accidentia inseparabilia.

Jàm verò, quænam solidæ fluidæque partes in Spinâ Bifidâ vitientur exponendum breviter, facem præferentibus observatis.

*Primò.* Falsum est vertebrarum epiphises spinales ità esse in hoc affectu bifurcatas, ut vulgò putarunt. Ut ponatur, sufficit si, vi quâpiam extropulsis illis epiphisibus quæ in fœtu & in recens nato

vel merè cartilaginosæ sunt, vel ossefieri incipientes laxè uniuntur teneris ossiculis corpus vertebrale constituentibus, si, inquam, dehiscant vertebræ à parte posticâ: eò majori facilitate talis fit hiatus, quòd debilissima sint & multùm extensibilia ligamentula cruciata fœtûs vertebras unientia. Rarissimè sub isto Tumore desideratur una aut altera vertebra (*a*).

Trans aperturam à dehiscentibus posticè vertebris factam extuberant expansæ membranæ medullam spinalem investientes & ratione ipsarum expansionis ad exteriora prominet Tumor quem describimus. Dissectio Spinæ Bifidæ docuit (*b*) plures ad eam efformandam concurrere cavitates concentricas quarum hic est ordo. Sub expansis tegumentis communibus reperitur expansio ductûs ligamentosi investien-

(*a*) Vide priùs citatam observationem Gaspar Bauhini. Observatio quarta.

(*b*) Consulantur observatio sexta & ultima.

ti-

tis omnem faciem internam canalis ſpinalis : ſubjacent expanſæ binæ laminæ duræ matris : fundum Tumoris efformat dilatata aracnhoïdea. Exindè facilè concipitur 1°. Eò ampliores futuras eſſe eas cavitates concentricas quò magìs ſunt externæ. 2°. Priùs eſſe expandi aracnhoïdeam, deìn aliarum partium ſuperpoſitarum dilatationem ſubſequi.

Portiuncula ſpinalis medullæ quæ Tumori correſpondet, modò intacta apparet, modò flaccidiſſima diffluit, modò deficit omninò : ſæpè demonſtrati fuêre faſciculi nervei à medullâ in ſubſtantiam Tumoris emiſſi (*a*).

*Secundò*. Nullâ conjecturâ opus eſt ut dignoſcatur fluidum quo membranæ medullam ambientes diſtenduntur in Spinâ Bifidâ. Etenìm ex rupto aut aperto illo Tumore magna exire advertitur ſeri copia : imò etiàm ſimilis liquor

(*a*) Vide obſervationes primam & ultimam.

per resectum canalem spinalem in ægris Spinâ Bifidâ demortuis affatìm effluit à superioribus ad inferiora descendendo.

Rectè igitur à Ruyschio prolatum fuit hunc Tumorem *hydropem esse particulæ spinalis medullæ, eundemque esse affectum qui in capite fœtûs hydrocephalus audit*: effatum Ruyschianum confirmant plura observata (*a*) quibus certum fit sæpè advenire Spinam Bifidam infantibus hydrocephalicis.

Itàque si in fœtu aquosus ille latex quo, in hydrocephalo interno obruuntur cerebri substantia, ventriculi, membranæ ipsius, inflectat cursum ad magnum foramen occipitis, facilis erit descensu via per patentem ductum spinalem sensim & sine sensu coacervabitur liquor & tandèm copioso proventu distendet modò hîc modò illîc membra-

(*a*) Legantur ephemerid. natur. curios. & observatio ultima à nobis suprà relata quâ constat cerebrum ejusque ventriculos sero superabundanti irrorari, &c

nas involventes quæ ſuâ vice erumpent in cartilagineas, flexibiles, facilèque dehiſcentes vertebrarum ſpinales epiphiſes : hìnc excitatus Tumor qui nihìl aliud eſt quàm Spina Bifida.

Ex omnibus ſuprà dictis & ex æquio ratiocinio iis ſuffulto patet cùr fœtubus peculiaris ſit Spina Bifida ? cùr ſæpiùs excitetur in lumbis quàm in aliâ columnæ vertebralis ſede ? cùr modò majorem modò minorem habeat magnitudinem ? cùr ad certum incrementum pervento Tumore in ſoporem incidat ægrotans ? cùr certa & indubia ad mortem prognoſis ?

Spinæ Bifidæ cauſæ antecedentes eædem prorsùs ſunt ac hydrocephali interni : imò, ſtrictè loquendo, Tumor ille eſt merum ſymptoma hydrocephali ſed graviſſimum & ſemper lethale. Nequè hîc moramur objectiones deductas ex obſervatis mulieribus quæ poſt lapſus (*a*) aut poſt diverſas phan-

---

(*a*) Legantur obſervationes prima & quarta.

tasias (*a*) peperêre infantes cum Spinâ Bifidâ, cùm nihìl obstet quominùs gravidæ ceciderint aut picâ malaciâve laborarint, dùm gerebant fœtum hydrocephalicum.

Semèl admisso liquore hydrocephali à cavitate Tumoris ad cerebrum continuitate columnarum aquearum protenso, in promptu explicabuntur ægrotantium sopores, stupores, artuum inferiorum paralyses, mortis acceleratio aperto Tumore.

Spinæ Bifidæ curatio palliativa (alia enìm non datur) consistit in eo quòd nunquàm aperiatur Tumor, nihìlque applicetur quod promptiorem ruptionem suscitet : exindè enìm certa & prompta mors.

Caveant gravidæ mulieres nè commissis erroribus in victu fœtum in utero hospitantem labe hydrocephali & Spinæ Bifidæ contaminent.

---

(*b*) Observat. secunda.

# CAPUT TERTIUM.

## *De Meliceride, Atheromate & Steatomate.*

TUMORES efformati cyſtidibus ſeù folliculis à cute ſuppoſitâ verè diſtinctis, includentibus materiem modò melli, modò pulti, modò ſebo ſimilem, nuncupantur *Melicerides*, *Atheromata*, *Steatomata*. Quæ nomenclaturæ à græcis vocabulis mellem, pultem & ſebum ſignificantibus deſumptæ fuêre. Illorum Tumorum theoriam mox therapeïam trademus.

### *THEORIA.*

Exigit bona methodus ut in exponendis iis quæ ad theoriam horumce Tumorum ſpectant, ordini ſequenti adſtipulemur.

## *Quid ſint & quomodò efformentur Cyſtides Meliceridum, Atheromatum & Steatomatum?*

A vero maximè alienum eſt Cyſtidum parietes eſſe partes craſſiores humoris cujuſdam juxtà ſe invicèm appoſitas, ordinatas, & efformantes involucrum membranaceum, dilatabile in orbem, expanſibile, &c.....

Nequè veritati magìs conſonat opinio illorum qui in parte affectâ ſupponunt fieri eroſionem, diviſionem aut quamlibet ſeparationem fibrillarum membranacearum quæ à ſucco coacervato ſucceſſivè magìs diſtenſæ & ab invicem ſeparatæ nihilominùs hìnc & indè alias emittunt fibras quæ tandèm omnes mutuò concurrunt ad efformandam membranam cujus cavitas repreſentabit Cyſtim (*Carolus Muſitanus*).

Etiàmſi prædictis veroſimiliorem, attamen rejiciendam cenſemus hypo-

thesim quâ admittitur congeries vasorum variè dilatatorum & expansorum, sacculis membraneis occlusorum, & Cysti communi obvolutorum (*a*): parùm enìm congrua est illa opinio & phœnomenis observatis in exortu progressibusque illorum Tumorum, & notionibus anatomicis, & inspectioni Cystidum manu chirurgicâ eradicatarum.

Ut autem quid sentiendum sit hâc in re, paucis enarretur, à limine attendamus ad ea quæ mirabili artificio detexit Malpighius circà folliculos seù loculos membranosos per corpus dispersos; efformantes variis in locis cava

(*a*) Sic censuit D. Hugo Gourraigne, Doctor Medicus Monspeliensis in Dissertatione de Tumoribus tunicatis propugnatâ Monspelii, Præside D. Fitz-Gerald Professore Regio, die 10 mensis Septembris anni 1733. Verùm nescio quâ fortunâ, eamdem Doctoris Gourraigne Dissertationem à latino in gallicum sermonem conversam à verbo ad verbum reperierim in opusculo cui titulus est.... *Traité des Tumeurs enkistées par le Sr. Rey ancien Chirurgien du Régiment de Picardie, actuellement de la Citadelle de Besançon, imprimé à Bruxelles l'an 1752.*

variæ figuræ, ſphæricæ ſcilicèt, ſphæroïdeæ, ovalis, cilindricæ, digitalis, lenticularis; admittentes intrà textum membranoſi involucri arteriolas è quarum extremis emittuntur fiſtulæ tenues quæ aſſiduò ſecretum humorem evomunt in cava folliculorum. Attendamus iterùm ad folliculos glanduloſos ſubcutaneos liquorem contentum diù ſervantes, mutantes, per emiſſaria extrà patentia emittentes. Inſpiciamus deniquè folliculos cavos quibus efformantur cellulæ tunicæ adipoſæ.

Iis omnibus perluſtratis & collatis 1°. Cum ſitu frequentiori Tumorum cyſticorum ſub cute aut in tunicâ adipoſâ; 2°, Cum figurâ Cyſtidum è corpore exemtarum quæ formantur cavitate ſimplici & in apice retinent veſtigia priſtinorum olìm emiſſariorum (*Boërhaavius*); 3°. Cum vaſis ſanguiferis Cyſtidum parietes perreptantibus (*Morgagnius*), qualia in non obſtructis folliculis detexerat Malpighius; 4°. Cum eximiis & invictiſſimis Practicis obſervationibus

bus à Boerhaavio relatis in epiſtolâ anatomicâ ad Ruyſchium: puto ſanè neminem futurum eſſe qui deneget Cyſtides Meliceridum, Atheromatum & Steatomatum conſiſtere in ſolâ dilatatione & adauctâ craſſitie præexiſtentium naturaliter folliculorum. Atquè ut ſtrictiùs res determinetur probabile erit diſtenſa involucra membranacea glandularum ſebacearum aliarumque ipſis analogarum facere Cyſtides Meliceridis & Atheromatis: Cyſtim verò Steatomatis produci ab ampliatis folliculis tunicæ adipoſæ.

Ab unico folliculo obſtructo & dilatato oriuntur iſti Tumores cyſtici quos ex parvulo incipere ſolemne eſt. Aſt unica cellula expanſa totum opus non abſolvit; novæ enim cellulæ, docente Ruyſchio, huic accreſcunt quæ primariò fuit dilatata.

Quàm facilè fit hæc accretio in ſubſtantiâ adipoſâ ex veſiculis membranoſis omninò conflatâ! Ibì à congeſto inſpiſſatoque humore diſtendi & am-

pliari non poteſt una veſicula quìn plures alias vicinas comprimat, compreſſas retineat, approximatos ipſarum parietes uniat per coalitum, tandem & ipſamet iis adhæreſcat. Indè fit ut robuſtior Cyſtis Steatomatis in immenſam molem aliquandò exurgat abſquè ruptione.

Minor eſt in Meliceride, major in Atheromate, maximus in Steatomate numerus membranularum folliculo primigeniùs dilatato accreſcentium. Quò numeroſiores ſunt illæ membranulæ accreſcentes, eò major Cyſtidis craſſitudo: quò major approximatio & intimior illarum contactus, eò durior Cyſtis magìsque reſiſtens ſuæ flexioni: quò magìs diſtrahi ſe patiuntur à fluidis contentis fibræ Cyſtim compaginantes, eò major Tumoris moles.

Nonnè vaſcula partis affectæ liquores craſſos, inertes, ac velut induratos coercentia efformare poſſunt Cyſtidem abſquè membranularum circumpoſitarum accretione? Id fieri aliquan-

dò autumamus in Meliceride & Atheromate, nunquàm in Steatomate.

Cyſtidum cavitas, quæ ut plurimùm uniformis & ſimplex eſt, aliquandò tamen ſuis parietibus includit minores alias Cyſtides (*ex obſervationibus D. Anet, aliorumque*). Quòd evenire credere fas eſt, cum in eodem loco plures & à ſe omninò ſegregatæ cellulæ obſtruuntur & expanduntur, totidemque diſtinctos Tumores cyſticos efformant: aggeſti hi parvuli Tumores ſi membranam aponevroticam aliamvè à naturâ efformatam ſuprà ſemetipſos extenſam habeant, eam extropellent, ſibique Cyſtidem communem nanciſcentur: ſi autem ſolida hæc membrana deficiat, hujus ſupplebit defectum textus cellularis approximatione & ſuperappoſitione ſuarum membranularum compactior factus.

Nequè difficilè erit cognitâ ſtructurâ cellulari tunicæ adipoſæ, explicare quare interdùm Steatoma quaſi loculamenta habeat magìs aut minùs multiplicia.

### *Quid ſit & undè profluat materia in Cyſtidibus contenta?*

Juxtà vaga nihìlque determinantia Antiquorum effata, materies Tumorum cyſticorum erat ſoboles humoris pituitoſi in hâc Cyſtide magìs, in iſtâ minùs à naturali conſtitutione recedentis, qui lento temporis progreſſu in maſſam nùnc melli, nùnc pulti, nùnc ſebo ſimilem degenerabat.

Effecit autem Neotericorum induſtria ut quàmplurima, Antiquis prorsùs ignota, detecta fuerint circà diverſos humores in elegantiſſimo textu ſubcutaneo ſecretos. Meliceridis, Atheromatis & Steatomatis materiem ſuppeditant ii ipſimet humores multò abundantiores quidèm & ſpiſſiores quàm in ſtatu naturali & remorantes in propriis & nativis receptaculis diſtenſione nimiâ & præternaturali parietum craſſitie peccantibus.

Itàque ſi attentè conſideremus humores lentè ſecretos, unctuoſos, facilè

ſpiſſeſcentes, pro uſibus idoneis diù remorantes intrà cryptas, lacunas, glandulas ſub cute poſitas, certo certius concludetur materiem Meliceridis & Atheromatis nihìl aliud eſſe quàm prædictos humo esſtagnantes & degeneratione ſpontaneâ abeuntes aut in maſſam colore & conſiſtentiâ melli ſimilem in Meliceride; aut in ſubſtantiam quæ pultem paſtamvè ſimulatur in Atheromate. Rursùs ſpectando liquidum oleoſum, pinguedinoſum, collectum in cellulis membranæ adipoſæ, concludi poteſt ex eo inſpiſſato & indureſcente efformandam eſſe materiam ſebo perſimilem quæ in Steatomatis cavo latitat. Nonnunquàm in eodem Tumore cyſtico fit connubium materierum pultaceæ & ſebaceæ, undè Tumor ex Atheromate & Steatomate compoſitus (*Platneri inſtitut. chirurgic. pag. 482*). Interdùm Cyſtides membranaceæ, quæ Atheromatibus propriæ ſunt, includunt oſſa, pilorum manipulos, dentes, crus humanum infantile, alia-

que aliena. Undènam illorum in Atheromatis Cyſtide generatio? Sanè vix aliud habemus reſpondendum cum Ruyſchio, niſi quod *modus naturæ agentis, formantis, mutantis nondùm ſatìs perſpectus ſit homini* (Ruyſch. dec. 3. adverſar. anatomicor.)

## *Signa & differentiæ Meliceridis, Atheromatis & Steatomatis.*

*Meliceridis* ſigna characteriſtica ſunt rotunditas, indolentia, color nativus, ſub prementibus digitis facilis excavatio, iis amotis celer reditus.

*Atheroma* dignoſcitur Tumoris indoleſcentiâ, colore nativo, figurâ ſæpè oblongâ, ſub prementibus digitis tardâ retroceſſione, iis amotis tardo regreſſu.

*Steatoma* cum duobus aliis Tumoribus congruit quoad colorem & indolentiam; ab iis diſcrepat per notabiliorem reſiſtentiam viribus prementibus.

Notis prædictis inſigniuntur illi Tu-

mores dùm ſimplices ſunt; alio autèm modo ſeſe res habet quotiès inflammantur; ſuppurantur, aut cancroſi fiunt.

Differentiæ in Tumoribus cyſticis advertendæ, non ſolùm eruendæ ſunt à diverſitate fluidorum obſtruentium, ſed & etiàm à pluribus aliis circumſtantiis, ſic....

1°. Meliceris, Atheroma, & Steatoma inter omnes Tumores ii ſunt qui lentiùs ſua percurrunt tempora. Oriuntur à tuberculo vix perceptibili, creſcunt ſenſim & ſine ſenſu, tardiſſimèque attingunt acmen ſui incrementi. Idem tamen non eſt progreſſionis ordo in quolibet Tumore cyſtico.

2°. Iſti Tumores modò parvi remanent, modò ad molem aſſurgunt mediocrem, modò excreſcunt in enormem magnitudinem.

3°. Baſis Tumorum cyſticorum nùnc lata, nùnc anguſta eſt, nùnc deficientem baſim ſupplet pediolus.

4°. Mobilitas quæ ut plurimùm iſtis

Tumoribus propria est, major vel minor existit.

5°. Vasa majora, venosa præsertìm, nervi, tendines adhærent aliquandò Cystidibus; non raró ab iis nexibus liberæ sunt.

6°. Ratione sitûs advertendum est an Tumor sedeat suprà articulationes, suprà partes viis aëreis vicinas, in palpebris, ad pudenda, suprà cranium ubì dicitur *Talpa*, quæ verum est Atheroma.

7°. Color naturalis cutis qui nunquàm mutatur in Meliceride, Atheromate & Steatomate simplicibus, abit in rubrum, plumbeum, lividum, aut nigricantem, si Tumori superveniant inflammatio, suppuratio, cancrosa indoles: exindè etiàm qui priùs indolens erat, acutè dolet Tumor.

8°. Vel ab externis causis oriuntur Tumores cystici, ut ab ictu, casu, contusione; vel solis causis internis debentur; vel à retropulsis eruptionibus cutaneis, aut quâdam prohibitâ exulceratione;

ceratione ; probè diſtinguantur ii quos virus peculiare produxit, aut qui adveniunt cacochimicis, cachecticisque corporibus.

9°. Deniquè advertatur an à pauco, an à longo tempore Tumor extiterit.

## *Quid de iis Tumoribus præſagiendum ſit ?*

Tumores cyſtici plerùmque magìs permoleſti ſunt quàm periculoſi. Majus autèm vel minus incommodum pariunt pro majori aut minori ipſorum mole, & pro diverſitate regionis corporis quam occupant.

Si illi Tumores indolentes ſint, concolores, in corporibus nequè cacochimicis nequè ullo viru inquinatis, eos veroſimiliter abſquè noxâ diù duraturos pronunciandum eſt : & è contrà ſi calor adaugeatur, ſi dolor acerbus ſuperveniat, ſi nativum colorem amittat Tumoris cutis, ſi venæ varicoſæ circà incurventur ; in illis diverſis caſibus

timeri debent inflammatio & suppuratio clandestina, quodque pejus, Cancri productio. In exulcerato Tumore cystico, certò pronuncietur nec carnes legitimas pullulaturas nec futuram bonam cicatricem nì priùs Cystis omninò ejecta fuerit nè minimâ portiunculâ superstite.

Eradicatis Tumoribus cysticis à viru quopiam pendentibus, nisi virus propriis specificis debellatum fuerit, timendum est nè in eodem loco aut alibì alter Tumor reviviscat in posterùm.

Malum est membranas Cystidum abi re partìm aut integrè in fungos aliasvè excrescentias.

In genere Tumor cysticus recens faciliùs curatur quàm si inveteratus fuerit

## *THERAPEIA*

### *Meliceridis, Atheromatis & Steatomatis.*

Remedia interna hîc tàntummod

præſcribuntur velutì præparatoria & adjuvantia. Curatio radicalis reponitur aut in topicis ; aut in operatione chirurgicâ.

1°. *Reſolventia* feliciter adhiberi poſſunt pro Meliceride recenti : in vanum præſcriberentur pro Atheromate, multò minùs pro Steatomate. Tuta non ſunt reſolventia quælibet ad Meliceridem diſcutiendam ; exquiſitè ea ſeligantur quæ inflammationem ſuppurationemque non ſuſcitent.

*Suppurantia* quæ in Meliceride irreſolubili & in pluribus Atheromatibus præſcribuntur, infauſtum ſæpè habent ſucceſſum, tùm ob pravam ſuppurationem quæ excitatur, tùm ob difficultatem deſtruendæ Cyſtidis ope ſuppurantium, tùm ob ſarcomata fungoſa ex talibus Tumoribus ſuppuratis non rarò orientia. Nè igitùr ea topica indiſcriminatìm in uſum veniant.

*Cauſtica* ſummi ſunt uſûs ad erodendam & deſtruendam Cyſtidem quæ operi ſuppuratorio ſæpiſſimè reſiſtit, nec

ejicitur nisi applicato lapide infernali aut caustico æquipollenti.

*Detersivis* & *cathæreticis* mundificetur ulcus & à reliquiis Cystidis adhærescentibus liberetur.

2°. Ast inter auxilia hisce Tumoribus cysticis accommodata nihìl tutiùs, nihìl, confirmante experientiâ, adeò salutare ac extirpatio. Hæc dextrum exigit Chirurgum in operando, prudentem in facto vulnere curando, ulcereque ità detergendo ut nullum Cystidis vestigium remaneat. Solâ extirpatione curari potest Steatoma quod nunquàm resolvitur, rarò & totiès infaustè suppuratur. Sæpè etiàm operationem postulant Meliceridès & Atheromata.

Ut ut autèm salutare auxilium, semper tamen non debet præscribi operatio quæ contraindicatur 1°. A parte vicinitatis & contiguitatis vasorum majorum, œsophagi, asperæ arteriæ, &c. 2°. A parte maximæ Tumorum molis. 3°. A parte debilitatarum ægri vi-

rium, aut complicati alterius morbi certò lethalis.

# CAPUT ULTIMUM

*Hydatidem, Anevriſma, Varicem, Hydrocelen, Hydromphalum & Hydarthrum definiens.*

ETIAMSI inter Tumores cyſticos humorales recenſeantur Hydatis, Anevriſma, Varix, Hydrocele, Hydromphalus & Hydarthrus; attamen cùm 1°. Hydatis raró ad ſuperficiem corporis appareat 2°. Cùm, ſtrictè loquendo, Anevriſmata & Varices exactiſſimè non pertineant ad Tumores humorales quorum conceptus ſecum importat ideam fluidi cumulati intrà vaſa minima 3°. Cùm Hydrocele, Hydromphalus & Hydarthrus ad Hydropes potiùs quàm ad Tumores ſpectent: ideò omnium illorum affectuum

nudam definitionem trademus, deſcrip-
tioni ſuperſedentes.

*Hydatis* eſt Tumor veſicularis humorem lymphaticum continens, in interioribus corporis præſertìm reperiundus, ortus à mirâ dilatatione lymphaticorum Bartholinianorum aut quàm minimarum glandularum lymphaticarum ſeroſarum (*Leg. epiſtol. anatomic. Boërhaav. ad Ruyſch. pag. 18.* ). Nè confundantur Hydatides exteriores cum Phlyctænis.

*Anevriſma* eſt dilatatio cyſtica ſeù ſacciformis à collecto cruore arterioſo modò in expanſis integris tunicis arterioſis & tùnc verum Anevriſma ponitur; modò in textu cellulari intrà quem per diſruptas membranas arterioſas effunditur, undè Anevriſma falſum.

*Varix* eſt Tumor nodoſus, mollis nigricans, ortus à nimiâ dilatatione membranarum venoſarum, ſæpiùs quàm ullibì apparens in tibiis, cruribus, & podice.

In cavo ſcroti velutì in cyſtide col-

lectus aqueus humor facit *Hydrocelen* per effusionem (Vide *Ledran Traité des opérations*, *pag.* 177.). Hæc Hydroceles species noscitur scroti Tumore pyriformi, externè æquali, tantisper pellucente, fluctuationis indicia exhibente, comprimentibus viribus cedente sed citò sese restituente.

*Hydromphalus* simplex est species Herniæ aquosæ efformatæ à sacco seù cystide umbilicali congestum liquorem aqueum includente.

*Hydarthrus* seù Hydrops articuli, est cystis superarticularis cujus cavitas hu-more lymphatico aut potiùs synoviali repletur. Circà illum affectum consulatur Fabricius Hildanus tractat. de Ichore & Meliceriâ.

FINIS.

# ERRATA.

PAg. 40. *lin.* 12. morbis *lege* morbi.

*Pag.* 90. *nott.* (*a*) certis temporibus *lege* incertis temporibus.

*Pag.* 116. *lin.* 4. resistitur *lege* renititur.

*Pag.* 124. *nott.* (*b*) *lin. penult.* persistere *lege* perstitêre.

*Pag.* 137. *lin.* 16. epinytides *lege* epinyctides.

*Pag.* 140. *lin.* 6. *punctum deleatur quod est post verbum* contentum.

*Pag.* 166. *lin.* 11. parres *lege* partes.

*Pag.* 180. *lin.* 5. par *lege* per.

*Pag.* 250. *lin. ult.* implicentur *lege* implicetur.

*Pag.* 262. *lin.* 3. depascentes *lege* depascentia. *Lin.* 4. spargentes *lege* spargentia.

*Pag.* 270. *lin.* 20. flatuloso *lege* flatuoso.

*Pag.* 271. *lin.* 7. auctâ *lege* acutâ.

Addenda

De tumoribus lacteis

De pustulis miliaribus lacteis

De fungo articulorum, enfa

Des tumeurs blanches des articu

De spina bifida Zuingeri.